Tomus X (fasc. IV). 1 mart. 1922.

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS et MISSIONARIIS

EDIT

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

Approbantibus Superioribus ecclesiasticis

BRUGIS

SUMPTIBUS CAROLI BEYAERT

Editoris Pontificii

BARCELONAE — EUG. SUBIRANA — Puertaferrisa

ROMAE (19) — DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITA GREGORIANA — Via del Seminario, 120

1922

INDEX RERUM ANALYTICUS

Dissertationes et Quaesita

Quaestiones de Codice canonico

Num. P.

IX. Interpretatio canonis 1127, de favore iuris concesso privilegio Fidei . . (
X. De usu imaginis Christi crucifixi ad lucrandas indulgentias viae crucis . (
XI. Calicis consecratio et exsecratio . . . . . (
XII. De caerimoniis baptismi differendis vel non . . . . . (
XIII. De matrimonio consummato contra ius matrimonii veri, sed non consummati . . . . . (
XIV. Usus privilegii Paulini ab eo qui ipse non vult cum coniuge cohabitare . (
XV. De Persona morali . . . . . (
XVI. De coniunctione muneris Superioris et oeconomi. . . . . (
XVII. De commoratione extra propriam religionis domum . . . . . (
XVIII. De noviciatus integritate . . . . . (
XIX. De nova militari lege Belgii et decreto *Inter reliquas* . . . . . (

Monumenta

SS. D. N. Benedicti Pp. XV

162. Epistola encyclica « **Fausto appetente die** » de DCC natali sancti Dominici celebrando (29 iun. 1921). 3
163. Litterae apostolicae sodalibus nostrae Dominae a bona morte quandam recitantibus preculam et sacrum litandum curantibus ad gratiam pii obitus sibi aliisve impetrandam, indulgentiae plenariae conceduntur (31 maii 1921) 3
Annotationes 3
164. Mandatum apostolicum « **Pro benedictione** » pro benedictione Abbatum Ordinis Sancti Benedicti (13 iun. 1921) 3
Annotationes 3
165. Epistola ad Emos PP. DD. Alex. S. R. E. presb. Card. Kakowski, Archiep. Varsavien. Edm. S. R. E. presb. Card. Dalbor, Archiep. Gnesnen. et Posnanien. ceterosque Poloniae Episcopos; De ratione a clero servanda in praesenti Poloniae condicione (16 iul. 1921) 3
166. Allocutio consistorialis « **In hac quidem renovata** » (21 nov. 1921). . 3
167. ACTA SUMMATIM RELATA
A. Litterae de dioecesibus erigendis, mutandis, etc. 3
B. Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis apostolicis erigendis, mutandis, etc. 3
C. Litterae de basilicis et ecclesiis 3
D. Litterae de indulgentiis et privilegiis 3
E. Epistolae variae. 3
F. Erectio capituli 3

MONUMENTA

162. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA ENCYCLICA 29 IUN. 1921

De DCC natali sancti Dominici celebrando

(A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 329.)

BENEDICTUS Pp. XV

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Appetente septingentesimo natali S. Dominici, SS. D. gaudet quod fideles ad celebrandam eius memoriam adhortari potest.

Fausto appetente die, cum, abhinc septingentis annis, illud sanctitatis lumen, Dominicus, ex his miseriis excessit ad sedes beatorum, Nobis, qui iamdiu sumus in clientibus ipsius perstudiosis, maxime ex quo Ecclesiae Bononiensis, quae eius religiosissime custodit cineres, inivimus gubernationem, Nobis, inquimus, valde libentibus contingit posse ex hac Cathedra Apostolica christianum populum hortari ad memoriam viri sanctissimi celebrandam : quo ipso non solum pietati Nostrae satisfacimus, verum etiam magno quodam grati animi officio erga et Patrem legiferum et inclytam eius familiam perfungi videmur.

Dominicus, per se et per Ordinem suum, Ecclesiae mirus fuit propugnator.

Etenim ut is plane homo Dei verissimeque Dominicus, sic totus Ecclesiae sanctae fuit, quae invictissimum fidei propugnatorem ipsum habet : qui autem ab eo conditus est Ordo Praedicatorum, praeclarum semper Romanae Ecclesiae praesidium exstitit. Quamobrem non modo *in diebus suis corroboravit templum* [1], sed defensionis eius perpetuitati Dominicus consuluit : ut, quae Honorius III, ratum habens Ordinem, edixit : « ... attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei et vera mundi lumina », ea ut vates cecinisse videatur.

Ut Christus praedicando Evangelium animas Deo lucratus est, ita Dominicus filios suos in praedicationem veritatis totos incumbere voluit.

Profecto, ut omnes norunt, ad propagandum Dei regnum nullo alio instrumento usus est Iesus Christus, nisi praedicatione Evangelii, id est viva suorum voce praeconum, qui caelestem doctrinam usquequaque diffunderent : *Docete*, inquit, *omnes gentes* [2]. — *Praedicate Evangelium omni creaturae* [3]. Itaque ex Apostolorum, maximeque S. Pauli, praedicatione, quam Patrum deinceps Doctorumque institutio et disciplina est subsecuta, factum est, ut hominum mentes veritatis lumine illustrarentur animique virtutum omnium amorem conciperent. Hanc ipsam omnino rationem adhibens ad animarum salutem Dominicus, id sibi suisque proposuit, *tradere aliis contemplata ;* ob eamque rem, una cum officio et

[1] Eccli. L, 1.
[2] Matth. XXVIII, 19.
[3] Marc, XVI, 15.

paupertatem et vitae innocentiam et religiosam disciplinam colendi, sanctum et sollemne iussit esse suo Ordini, sedulo incumbere in studia doctrinae et in praedicationem veritatis.

In praedicatione dominicana tria elucent:

Iam vero in dominicana praedicatione haec tria, tamquam insignia, eluxerunt : magna quaedam doctrinae soliditas, plenum fidelitatis erga Sedem Apostolicam obsequium, pietas in Virginem Matrem eximia.

1° magna soliditas doctrinae, quam S. Pater sedulo studio acquisitam in disputationibus cum haereticis praeclare demonstravit.

Quamvis enim mature se Dominicus natum sentiret ad praedicandum, tamen non id muneris suscepit, nisi cum in Palentino Athenaeo philosophiae ac theologiae multam dedisset operam, diuque in sanctorum Patrum studio versatus, iis ducibus atque magistris, Scripturae sacrae divitias, praecipueque Pauli, in suum tamquam succum et sanguinem convertisset.

Quantum is rerum divinarum scientia valeret, non multo post perspici licuit, in eius disputationibus adversus haereticos ; quos quidem, ad oppugnanda Fidei dogmata omnibus artibus et fallaciis armatos, tamen mirabile erat quam strenue convinceret ac refutaret. Idque Tolosae maxime apparuit, in urbe scilicet quae tum princeps et caput haeresum habebatur, quo doctissimus quisque adversariorum convenerat. Memoriae proditum est, ipsum cum primis sodalibus, opere atque sermone potentibus, insolentiae haereticorum invictum restitisse quin eorum non solum cohibuisse vim, sed animos etiam eloquentia et caritate sic mitigasse, ut ingentem numerum in sinum Ecclesiae matris revocaret. Cui, pro Fide dimicanti, Deus ipse praesentissimus aderat ; ut cum, accepta, quam haeretici dederant, condicione ut suum quisque librum igni traderet, combustis ceteris, unus ipsius liber intactus a flamma inviolatusque permansit. Ita, Dominici virtute, Europa Albigensium haeresis periculo liberata est.

Hac solidae scientiae nota filii eius ab initio usque resplenduerunt.

Hac autem solidae doctrinae laude ipsos suos filios ornatos esse iussit. Etenim, vixdum approbato ab Apostolica Sede suo Ordine, ac nobili Praedicatorum appellatione eidem confirmata, is religiosas suas domos quam proximas celeberrimis studiorum Universitatibus condere instituit, quo et facilius eius alumni se omni disciplinarum genere excolerent, et plures ex bonarum artium studiosis novae huic familiae sese adiungerent. Itaque dominicanum institutum iam inde ab initio tamquam insignitam doctrinae notam prae se tulit : eiusque hoc velut proprium opus munusque semper fuit variis errorum malis mederi et christianae fidei lumen diffundere, quandoquidem nihil tam obstat sempiternae saluti quam veritatis ignoratio opinionumque perversitas. Non mirum est igitur, si omnium oculos animosque ad se convertit huius nova vis apostolatus, quae quum Evangeliis doctrinisque Patrum niteretur, tum cognitionum omnis generis copia commendabatur.

Atque ipsa quidem Dei sapientia per dominicanos sodales loqui visa est, cum in eis magni illi christianae sapientiae praecones et defensores eminebant, Hyacinthus Polonus, Petrus Martyr, Vincentius Ferrerius, item homines ingeniis praestantes disciplinisque optimis eruditissimi, ut Albertus Magnus, ut Raymundus de Penafort, ut Thomas Aquinas, quo maxime Dominici alumno vere Deus *Ecclesiam suam illuminare dignatus est.* Quare hic Ordo cum permagni semper sit habitus ob magisterium veritatis, tum vero egregiam laudem adeptus est, cum Thomae doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse, eundemque Doctorem, singularibus Pontificum praeconiis honestatum, magistrum scholis catholicis dedit et patronum.

2° Summum erga Apost. Sedem obsequium, quo ad eius defensionem se ipse devovit agmenque piorum laicorum suscitavit.

Cum hoc autem tanto studio retinendae tuendaeque Fidei summum in Dominico cohaerebat obsequium erga Apostolicam Sedem. Sic enim accepimus provolutum ad pedes Innocentii III, eum se defensioni Romani Pontificatus devovisse, eidemque decessori Nostro, postera nocte, in somnis visum esse inclinatam Basilicae Lateranensis molem suis humeris animosum sustinere. — Illud etiam, historia teste, scimus, cum primos disciplinae suae alumnos ad christianam perfectionem informaret, cogitasse Dominicum de colligenda ex piis religiosisque laicis quadam sacra militia, quae simul Ecclesiae iura defenderet, simul haeresibus fortiter repugnaret. Hinc ille profectus est dominicanorum Ordo Tertius, qui quidem, perfectioris vitae institutum in saecularibus vulgando, permagna paraturus erat Ecclesiae matri et ornamenta et praesidia.

Eadem cum S. Sede coniunctione renitet Ordo Dominicanus,

Tradita autem a legifero Patre, venit ad filios tantae cum hac Cathedra coniunctionis hereditas. Quotiescumque igitur ob infatuatas erroribus mentes hominum factum est, ut vel populorum motibus vel principum iniuriis laboraret Ecclesia, habuit haec Apostolica Sedes in dominicanis sodalibus, qui, patrocinium et veritatis et iustitiae suscipientes, peropportuno sibi adiumento essent ad suae conservandum splendorem auctoritatis. Nam quis ignorat quam se praeclare gesserit in hoc genere dominicana illa virgo, Catharina Senensis, quae, urgente caritate Iesu Christi, difficultates incredibiles eluctata, Summo Pontifici persuasit — quod nemo alius potuerat — ut ad suam Romanam Sedem, LXX annorum intervallo, reverteretur; quaeque deinde, dum Occidentalis Ecclesia diro schismate lacerabatur, magnum christifidelium numerum in fide et obsequio legitimi Pontificis retinuit?

qui Catharinam Senensem produxit

et quattuor magni nominis SS. Pontifices Ecclesiae dedit.

Atque, ut cetera omittamus, non est praetereundum ex dominicanis sodalibus Pontifices Romanos magni nominis exstitisse quattuor; quorum postremus, sanctus Pius V, immortaliter de re christiana civilique meritus est; qui cum, magna instantia atque hortatu, catholicorum principum arma sibi societate adiunxisset, apud Echinadas insulas, Turcarum opes in perpetuum profligavit, auspice atque adiutrice Virgine Deipara, quam propterea *Auxilium Christianorum* deinceps salutari iussit.

3° Pietas studiosissima erga Dei Matrem.

Studium suum in diffundendo Rosario ostendit.

In quo luculenter id etiam ostenditur, quod diximus exstare tertium in praedicatione dominicanorum: pietas erga magnam Dei Matrem studiosissima. Naupactensem enim victoriam divinitus cognovisse Pontifex perhibetur eo temporis articulo fieri, dum per orbem catholicum piorum sodalitates Mariam sanctissimi Rosarii implorabant formulâ, quam ipse Praedicatorum Parens invenerat, per suosque alumnos deinceps longe lateque propagandam curaverat. Etenim Virginem beatissimam cum matris loco diligeret, eius maxime patrocinio confisus, Dominicus ad Fidei causam agendam aggressus est. Itaque, adversus Albigenses haereticos, qui cum alia Fidei capita, tum divinam maternitatem virginitatemque Mariae omnibus contumeliis insequebantur, ille, horum dogmatum sanctitatem pro viribus tuendo, auxilium ipsius Virginis Matris invocabat, ea saepissime verba usurpans: « Dignare me laudare te, Virgo sacrata; da mihi virtutem contra hostes tuos ». Quam grate autem complexa sit caelorum Regina pientissimum servum, ex eo facile colligitur, quod huius ministerio usa est, ut sanctissimum Rosarium Ecclesiam, Filii sui Sponsam, edoceret; illam precationem scilicet quae cum simul voce et mente fiat — mysteriis religionis potissimis contemplandis, dum oratio dominica

quindecies totidemque decades salutationum Mariae iterantur — accommodatissima est ad pietatem omnemque virtutem vulgo alendam et excitandam. Iure igitur suis alumnis praecepit Dominicus ut, Dei verbum populis tradentes, in hac orandi forma audientium animis inculcanda saepe studioseque versarentur, cuius exploratissimam haberet utilitatem. Probe enim noverat Mariam ex una parte quidem tantum auctoritate apud Filium divinum posse, ut is, quidquid gratiarum hominibus confert, illa semper administra et arbitra conferat, ex altera autem tam benignae clementisque esse naturae ut, cum ultro solita sit miseris succurrere, omnino nequeat opem postulantibus recusare. Itaque eam, qualem consuevit Ecclesia salutare *matrem gratiae matremque misericordiae*, talem semper, Rosario praesertim adhibitio, experta est; qua re Romani Pontifices nullam umquam occasionem usque adhuc omiserunt, quin Mariale Rosarium summis laudibus efferrent, atque Apostolicae Indulgentiae muneribus locupletarent.

Quot homines, praesertim hodie, veritatis cognitione destituuntur,

Iam vero dominicani instituti — ut ipsi intellegitis, venerabiles fratres, — non minor est hoc tempore quam ipsius Auctoris aetate opportunitas. — Quam multi hodie sunt, qui pane vitae, id est caelesti doctrina, destituti, tamquam inedia consumuntur; quam multi, quos, veri specie deceptos, magna errorum varietas avertit a Fide: quorum omnium necessitatibus ut congruenter sacerdotes, verbum Dei ministrando, subveniant, quantopere ipsos tum alienae salutis cupidos, tum vero solida rerum divinarum scientia instructos esse oportet. Quot etiam ingrati et immemores Ecclesiae filii, a Iesu Christi Vicario vel rerum ignoratione vel mala voluntate aversi sunt, quos ad communis Parentis sinum opus est adduci. Ad ista vero aliaque omne genus mala huius saeculi sananda quantum materno Mariae patrocinio indigemus!

a S. Sede ingrato animo se avertunt, potentissimo B. M. V. patrocinio indigentes.

Quare S. Pontifex hortatur omnes S. Dominici filios ut se tanto Patre dignos exhibeant,

Habent igitur dominicani sodales paene immensum sibi campum, in quo utilissime pro communi salute contendant. Quare omnibus, quotquot huius disciplinae sunt, magnopere auctores sumus, ut in his sollemnibus saecularibus suos animos quodammodo renovent ad sanctissimi Conditoris exemplum, seque tali patre praestare instituant cotidie digniores. Ceteris nimirum in hoc antecedent, ut est consentaneum, filii eius ex primo Ordine, iique posthac vel alacriorem dabunt operam eiusmodi praedicationi divini verbi, unde in hominibus, cum obsequio erga beati Petri successorem ac pietate in Virginem Matrem, cognitio crescat tuitioque veritatis. Sed a Tertiariis quoque sodalibus dominicanis plurimum utilitatis exspectat Ecclesia, si quidem ad Patriarchae sui spiritum sese diligentius accommodare studuerint, rudes videlicet imperitosque de plebe christianae doctrinae praeceptis instruendo. In quo ut multi illi assiduique sint, cupimus et optamus: res enim agitur maximi ad animarum bonum momenti. Denique universis Dominici Patris alumnis hoc volumus peculiari esse curae, ut usquequaque Mariali Rosario populus christianus assuescat: quod quidem eum Nos, decessorum Nostrorum, in primisque fel. rec. Leonis XIII, vestigia persecuti, per occasionem hortati sumus, vehementerque, in his temporum acerbitatibus, hortamur: idque si feliciter evenerit, huius saecularis memoriae celebritatem satis fructuosam fuisse putabimus.

Tertiarios ut spiritu eius imbuantur,

omnes ut cultum SS. Rosarii promoveant.

Benedictio apostolica.

Auspicem interim divinorum munerum ac benevolentiae Nostrae testem,

Apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, vestroque clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX iunii, in festo Apostolorum Principum, anno MCMXXI, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (29 ian. 1921).

BENEDICTUS Pp. XV.

---

163. — SS. D. BENEDICTI Pp. XV

LITTERAE APOSTOLICAE 31 MAII 1921

Sodalibus nostrae Dominae a bona morte quandam recitantibus preculam et sacrum litandum curantibus ad gratiam pii obitus sibi aliisve impetrandam, indulgentiae plenariae et partiales conceduntur.

(A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 342.)

Ex his litteris, quarum tenorem infra sub n. 167, D, compendio tradimus, haec ad verbum exscribere visum est :

Salubris cogitatio de propria morte.

« ... Quotquot enim in sodalium numerum adsciscuntur, eorum est veluti peculiare ac proprium, non modo cum sibi, tum ceteris, pretiosam in conspectu Domini mortem impetrare, sed etiam de ipsa morte, quae unicuique impendeat, assidue commentari, eamque cum precum bonorumque operum praesidio opperiri, secundum illud *Imitationis Christi :* « Sic te in omni facto et cogitatu tenere deberes, quasi statim esses moriturus » ; qua profecto re num aliquam aliam graviorem magisque necessariam persequi liceat ? Hoc sane salutis aeternae adipiscendae negotium, tanquam si christiano homini unum incumbat, Paulus Apostolus agendum inculcat, nec quisquam feliciter gerat ac perficiat, nisi et in vita sancte degenda perseveraverit et sancte de vita decesserit. Id utinam alte in christifidelium animis insideat, quod solet, proximo cum animae periculo, miserandum in modum obliterari, hac praesertim aetate, cum videntur homines, pecudum more, in terram confixos habere oculos, eosque, contemplatione caelestium posthabita ac despecta, unice ex fluxis pascere inanibusque rebus. Quamobrem Sodalitati Nostrae Dominae a Bona Morte haec haud mediocris, praeter alias, tribuenda laus est, quod, instituto ipsa suo, extremum illud temporis momentum, quo aeterna animae sors periclitatur, in memoriam hominum redigat, iisque continenter suadeat, magnum opus esse atque arduum in Dei gratia ad obitum usque perseverare, eaque de re, quemadmodum Tridentinum docet, *tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent, neminem sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceri* posse ; propterea Paulum Apostolum edixisse, cum timore et tremore salutem esse nobis operandam. Quamvis autem *magnum* perseverantiae et sanctae in osculo Christi mortis *donum* iusto iure mereri nequeamus, cum gratuito detur, *suppliciter* tamen, teste Augustino, illud *emereri potest*, modo ut a Patre in nomine Christi talibus exposcatur obsecrationibus, quales Christus ipse certe auditum iri promisit. Quas

Magnum donum perseverantiae suppliciter emereri debemus.

quidem preces si, cum vitae christianae exercitatione coniunctas, sine ulla temporis intermissione feramus, consecuturum sine dubio, Dei misericordiâ, est, ut *in fide stabiles et in opere efficaces* inveniri, *ac demum* post *vitae huius varietates ad salutis portum pervenire* mereamur : cum *facienti quod in se est, Deus non deneget gratiam.* Interea sic dolemus, ut nihil supra, ex ingenti filiorum numero, quos, ob collatum Nobis divinitus Apostolicum munus, ad beatitatem sempiternam dirigendos adiuvandosque suscepimus, nimis paucos esse, qui de salute sua vivant solliciti et sic se, quemadmodum diximus, ad pie moriendum parent. Verum ad gratiam eiusmodi assequendam cum preces eo plus valeant, quo excellentiores sunt, liquet, quas Christus ipse, Mediator ac Sacerdos, in augusto Missae sacrificio, Patri obsecrationes adhibet, eas esse prorsus perfectas et gratas, ideoque omnium efficacissimas. Fideles igitur, qui pretiosum sibi spondere decessum tutumque reddere velint, quidni Sacrum ad hanc mentem fieri iubeant, cum in altari Christus sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ibique *thronum gratiae* constituerit, ad quem *adeamus cum fiducia ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno ?* Praeterquam enim quod, ut Tridentini verbis utamur, *sacrificii oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit*, poenasque culpae expiandae debitas condonat, solutionis pretium ex immenso satisfactionum Christi cumulo depromens, per ipsam praeterea Sacri litationem subsidia ea omnia impetrare licet necessaria atque opportuna, quibus non modo maculas devitemus conceptasque eluamus, sed etiam in Dei gratia amicitiaque sic perstemus ut mortem iustorum obeamus. In quo considerandum praecipue est, fructus, qui ex Sacro percipiuntur, hominibus longe uberius vivis prodesse quam vita functis, eum iis, bene animatis ac dispositis, magis directo, certius atque abundantius, quam his, applicentur : unde efficitur, ut, cum perseverantiae dono, queamus nobis facultatem adhuc vivis comparare cum placandae Dei iustitiae, tum poenae, quae nos in Purgatorio igni maneret, vel tollendae omnino vel valde saltem imminuendae. Quodsi satis multi, obliviosi atque ingrati homines, id committere consueverunt, ut ad animas eorum piandas, quos habere carissimos videbantur, augustum offerri Sacrificium neglegant, sunt quidem maiore numero, qui, gravi cum spiritualium utilitatum iactura, illud ignorent, profuturum sibi multo magis Missae sacrificium quod, se vivis, ipsimet, quam quod in ipsorum levamen defunctorum heredes, propinqui vel amici perlitari iusserint.

Quod ut consequamur nihil plus quam oblatio S. Sacrificii valebit.

Commendatur zelus ut ultima sacramenta tempestive recipiantur.

Interea in spem bonam laetamque erigimur fore, ut in Sodalitatem istam, per terrarum orbem late propagatam, christifideles cotidie plures cooptari se velint, non solum ut gratiis ab Apostolica Sede conlatis fruantur, verum etiam ut *bonae mortis apostolatum* ad Sodalitatis leges exerceant, id omni virium contentione efficiendo, ut qui in discrimine ultimo versantur, sacri Viatici et extremae Unctionis susceptionem ne eo usque remorentur cum sensum amissuri iam sunt, sed, contra, quemadmodmodum Ecclesia docet ac praecipit, iis roborentur Sacramentis vixdum, ingravescente morbo, prudens fiat de periculo mortis iudicium ; qui ceterum apostolatus, sodalibus ipsis proximisque tam fructuosus, non sine peculiari divinae Providentiae consilio, videtur hisce temporibus eo celerius copiosiusque florescere ac vigere, quo magis opo tet homines

mansuras animi utilitates quaerere atque impensius saluberrimam mortis cogitationem secum agitare. Quo in genere sodales rem facturi sunt omni laude et caelesti remuneratione dignam, si, ad propositum quod supra dicendo adumbravimus, incruentum altaris Sacrificium creberrime curent peragendum, ut Redemptionis opus in socordibus vel impiis hominibus efficienter perpetuoque compleatur, aeternamque omnes, quoad fieri potest, salutem assequantur, cum pro omnibus divinum Iesus Christus sanguinem, animae suae prodigus, effuderit.

Pro Dno Card. Petro Gasparri.
N. Sebastiani, a Brevibus Apostolicis.

Annotationes

Attenta particulari ratione praesentis Brevis, non fuisset ex integro referendum, nisi documenta pretiosa contineret ordinis dogmatici et moralis.

Ad tria autem animum convertere iuvabit : 1) Ad modum quo S. Pontifex loquitur de gratia perseverantiae finalis suppliciter emerenda ; — 2) Ad affirmatam utilitatem maiorem missarum quas quis pro se ante mortem celebrare curaverit ; — 3) Ad opportunitatem maturae administrationis extremae Unctionis.

---

164. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

MANDATUM APOSTOLICUM 19 IUN. 1921

Pro benedictione Abbatum Ordinis Sancti Benedicti

(A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 416.)

BENEDICTUS Pp. XV

Formula pro benedictione abbatum exemptorum semper adhibenda est ad benedicendos Abbates O. S. B. confoederati, quippe qui omnes exempti sint.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Pro benedictione** Abbatum duplex in Romano Pontificali formula habetur : altera pro benedictione auctoritate Apostolica, altera autem pro benedictione Ordinarii auctoritate peragenda. Postrema adhibenda erat in benedictione Abbatum, qui ab Ordinarii loci iurisdictione exempti non erant, quique proinde proprio Ordinario loci subiectionem et obedientiam in ipsa benedictionis caeremonia promittere tenebantur. Prior vero formula assumebatur, prouti adhuc in praesens assumitur, in benedictione Abbatum exemptorum, quorum quidem benedictio vel in Curia Romana fit, vel de mandato Apostolico extra Romanam Curiam peragitur, quin loci Ordinario, de cuius potestate exempti sunt, subiectionem et obedientiam promittere debeant. Quoniam vero omnes Ordinis Sancti Benedicti confoederati Abbates palmario exemptionis privilegio gaudent, quod, praeter innumeras antiquas leges identidem editas, etiam nuper promulgatus iuris canonici Codex confirmat (can. 615), horum Abbatum benedictio semper auctoritate Apostolica peragitur.

Cum haec benedictio extra Curiam, quod plerumque usu venit, sine mandato Apostolico speciali fieri nequeat,

Sed cum ipsa benedictio saepius extra Romanam Curiam sit impertienda, peculiare in singulis casibus Apostolicum mandatum debet exquiri, quod generaliter dirigitur ad Episcopum, cuius in dioecesi futurum benedicendi Abbatis coenobium reperitur, nisi agatur de Abbate nullius dioecesis benedicendo, aut peculiare privilegium adfuerit a quolibet Episcopo benedictionem recipiendi. Codex enim, cum hac in re integre ius antiquum referat, a mandato Apostolico impetrando non eximit, neque illud de iure conferri Episcopo dioecesano, sed enunciati mandati necessitas, sicuti antea, permanet. Considerata vero Ordinis Sancti Benedicti ubique terrarum propagatione, cum in pluribus casibus et a longinquis etiam regionibus ad Sanctam hanc Sedem recursus pro mandato Apostolico fieri, atque interea benedictio longum per tempus differri debeat, dilectus filius Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas Ordinis Sancti Benedicti, totius Ordinis Benedictini confoederati exprimens vota, pro benedictione omnium Abbatum Ordinis eiusdem extra Romanam Curiam impertienda, generale seu commune mandatum Apostolicum, semel pro semper, enixis precibus Nos flagitavit. Nos autem, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, ut inclytus et vetustissimus Ordo, a monachorum occidentalium Patriarcha in Ecclesiae bonum et columen constitutus, novum nanciscatur Pontificiae benevolentiae pignus, enunciati Abbatis votis annuentes, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, pro omnibus Ordinis Sancti Benedicti confoederati Abbatibus, in posterum, extra Romanam Curiam benedicendis, ubique terrarum, generale seu commune mandatum Apostolicum ad Episcopum dioecesanum respectivum directum, semel pro semper, largimur, quod ad ritualem *Pontificalis* interrogationem « habetis mandatum Apostolicum? » legi possit. Ad haec, quoniam dioecesani Episcopi nonnumquam impediti sunt, quominus benedictionem abbatialem opportuno tempore impertiant, concedimus ut, firmis peculiaribus privilegiis, non solum Abbates *nullius*, de quibus mentio fit in can. 322 § 2 ; 323 § 1, nec non Abbates quorum monasteria reperiantur intra fines alicuius dioecesis *nullius*, sed etiam ceteri Abbates Ordinis Sancti Benedicti confoederati praefatam benedictionem recipere valeant a quolibet Episcopo cum hac Sancta Sede Apostolica communionem habente, quoties sedes episcopalis vacaverit, vel quoties in scriptis constiterit, Episcopum dioecesanum aut legitime impeditum esse, quominus eam ipse conferat, aut consensum suum ad hoc dedisse. Praecipimus vero, ut in sollemni benedictionis caeremonia Abbas benedicendus debitae fidelitatis iugiter servandae consueto iureiurando se adstringat.

quod in locis dissitis benedictionem satis differt,

Benedictus XV generale mandatum semel pro semper omnibus locorum Ordinariis facit ad benedicendos Abbates O. S. B. confoederati.

Clausulae.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare se permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentati contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides

adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo. *Dies (19 iun. 1921).*

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIONES

I. *Ratio decreti.* Ante Codicem, non pauci abbates privilegio fruebantur vi cuius, semel legitime electi, censebantur simul rite benedicti, atque omni iure et privilegio abbatum instructi. Codex autem, c. 625, quem Commissio Pontificia Codici interpretando etiam abbatibus iam ante Codicem praefectis, declaravit applicari debere, potestatem conferendi ordines minores, et privilegia abbatum obnoxia fecit condicioni vere receptae benedictionis.

Sic autem, pro abbatibus exemptis et in longinquo constitutis nascebatur difficultas tempestive obtinendi mandatum Apostolicum, in singulis casibus necessarium, ut auctoritate Apostolica ab episcopo benedici possent.

II. *Decreti tenor.* Huic difficultati prospiciens, S. Pontifex, propensa voluntate inclytum Ordinem S. Benedicti complectens, concessit mandatum generale, quo, vi praesentis decreti, sine alia cum S. Sede communicatione usus fieri poterit, quando abbas extra Curiam Romanam benedicitur [1].

Praeterea statuit benedictionem istam recipi legitime posse ab omni episcopo cum S. Sede communionem habente, quotiens sedes episcopalis vacaverit, vel in scriptis constiterit episcopum dioecesanum legitime impeditum esse aut consentire ut alius abbatem benedicat.

Quod semper valet de abbatibus *nullius* et de abbatibus qui intra fines abbatiae nullius monasterium habent.

III. *Privilegii extensio.* Decretum valet pro omnibus abbatibus qui sub abbate Primate sunt confoederati, non autem pro abbatibus Ordinis Cisterciensis, etsi hi quoque ad familiam S. Benedicti pertinent.

---

[1] Observes tamen nullam peculiarem formulam hactenus traditam esse, ita ut ad quaestionem : « Habetis mandatum Apostolicum ? » simpliciter responderi possit : « Habemus, vi Brevis 19 iun. 1921 », vel legi possint ex praesenti decreto verba quibus concessio continetur.

165. — SS. D. N. BENEDICTI Pp. XV

EPISTOLA 16 IUL. 1921

Ad E^mos^ PP. DD. Alex. S. R. E. presb. Card. Kakowski, Archiep. Varsavien. Edm. S. R. E. presb. Card. Dalbor, Archiep. Gnesnen. et Posnanien., ceterosque Poloniae Episcopos : De ratione a clero servanda in praesenti Poloniae condicione.

(A. A. S., 1 sept. 1921, 13, p. 424.)

Dilecti filii Nostri et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex iis litteris, quas, a Vobis datas, dilectus filius Noster Alexander Kakowski, Cardinalis Archiepiscopus Varsaviensis, Nobis reddidit, perlibentes cognovimus de fraterno conventu vestro ad sepulcrum sancti Stanislai, Polonorum patroni caelestis, nuper habito : et quae pro vestro pastorali munere communiter ceperitis consilia, ea reapse ad bonum animarum, vestris mandatarum curis, velit Deus suae gratiae virtute valere, enixe precamur.

Testimonia benevolentiae S. Sedis erga gentem Polonam.

In iisdem litteris nonnulla Vos commemoratis ex iis beneficiis, quae Nos in populum polonum conferre studuimus. Verum multo maiora multoque illustriora ex historia suppetunt testimonia peculiaris illius caritatis, qua semper haec Apostolica Sedes nationem vestram prosecuta est : quae quidem caritas tanto impensior esse consuevit, quanto deteriore condicione Polonia utebatur. Nam, cum a civitatum rectoribus potior iure haberetur vis, omnesque tacite politicam civitatis polonae personam delevi sinerent, una reclamavit Apostolica Sedes ; cum polonorum sanctissima iura superbo dominatu premerentur, una eorum defensionem et palam et secreto suscepit Apostolica Sedes ; cum, recenti maximo bello, essent qui autumarent satis bene provisum iri Poloniae, si ei quodlibet *autonomiae* genus quod promittebatur, tribueretur, una haec eadem Apostolica sedes pluries affirmateque contendit, plenam perfectamque libertatem, id est *independentiam* quam vocant, opus esse Poloniae, omninoque curandum, ut ad pristinam revirescret personae moralis dignitatem.

Quomodo S. Pontifex se inter litigantes nationes gerat.

Noster hic amor Nostrumque studium erga nationem vestram, dilecti filii Nostri et venerabiles fratres, uno definitur termino, quem scilicet officium iustitiaque indicant. Etenim ubi de suis cuiusque rationibus populi inter se pugnant, Romani Pontificis, communis omnium parentis, est neutri favere parti, seque integrum ad utrosque servare. Hanc agendi rationem Romani Pontifices semper secuti sunt ; eandemque Nos dum immane bellum gerebatur atque etiam proximo tempore ante Silesiae Superioris plebiscitum retinuimus, quaecumque dictitarint vel dicitent homines malevoli aut certe huius Apostolicae Sedis parum observantes. Si autem incensis hominum cupiditatibus fiat, quod non raro evenire experimentis compertum est, ut alienum ius violetur, eadem officii sanctitate adducimur ad eiusdem violationem improbandam atque damnandam, undecumque illa exstiterit.

Quaenam servanda sit agendi ratio

Cum igitur erga patriam vestram hoc affecti simus animo, Nos vehementer optamus cupimusque ut difficultates quae sibi ad vitam politicam

nunc resurgenti deesse non poterant, celeriter feliciterque Polonia evincat, brevique ac facile possit eam cum finitimis nationibus pacificam compositionem assequi, cuius plane indiget ad suam ipsius conservationem et incrementum. Huc enimvero admodum potest vestra, dilecti filii Nostri ac venerabiles fratres, vestrique cleri opera et industria valere, si quidem in sacri ministerii finibus, amplissimis sane, se contineat. Quo autem modo clerici, praecipueque Episcopi sese gerere in politicis debeant, declarat epistola, quam Nos die x mensis februarii proxime elapsi ad Episcopos Belgarum dedimus, cuius hoc caput est: cum ex una parte gubernare rem publicam legitimae potestatis, quae civitati praesit, proprium munus officiumque sit, ex altera debent sacrorum Antistites illud semper meminisse Pauli ad Hebraeos (V, 1): *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum.* Ita duarum potestatum unicuique sua est definita regio, in qua versetur. Quare, sicut potestas civilis polona in ipsam rei publicae utilitatem clero debet, sacra munia obeunti, favere, ac perverse suo officio abuteretur, si ipsorum perfunctioni munerum impedimentum afferre auderet et quas habent rationes cum Deo cives, eas vellet ipsa moderari; sic Episcopi ceterique de clero polonorum, ut cives quidem liberam habent potestatem suis iuribus civilibus recte utendi, ut ministri autem sunt *Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (I *Cor.*, IV, 1), non debent politicis implicari negotiis, sed civitatis legibus et politicae gubernationi potestatis civilis, voce exemploque, obtemperationem suadentes, in primis id agere, ut ad religionem bonosque mores civium animos conforment. Maxime vero ad sectas Protestantium itemque ad consilia hominum turbulentissimorum, istius quoque nationis pestem molientium, vigilanter attendant, neque latius ea diffundi patiantur, sed sanas usquequaque disseminent doctrinas, diaria praesertim ac periodica scripta scriptis eorum contraria typis edendo. Denique — quod unicuique de sacro Ordine sollemne debet sanctumque esse — studeant oportet, mutuae caritatis officia tribuere suis in sacerdotio fratribus, quamvis secum in re publica dissideant, aliove sint genere vel ritu.

a clero in rebus politicis.

Accurate servetur distinctio duarum potestatum, ecclesiasticae et civilis.

SS. D. hortatur Pastores ut fideles contra errores Protestantium defendant.

Ista duorum potestatum distinctio simul et conspiratio, quae quidem Ecclesiae doctrina praecipitur, semper et civibus et civitatibus salutaris exstitit. Talem nationi Polonae futuram confisi, auspicem divinorum munerum ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti filii Nostri et venerabiles fratres, vestroque clero ac populo apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis iulii, in commemoratione SSmae Mariae Virginis de Monte Carmelo, anno MCMXXI, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (16 iul. 1921).

BENEDICTUS Pp. XV.

166. — SS. D. BENEDICTI Pp. XV

ALLOCUTIO CONSISTORIALIS 21 NOV. 1921

(A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 521.)

VENERABILES FRATRES

Pacta inter respublicas bello sublatas vel nĕmium mutatas et S. Sedem novis Statibus per se non prosunt,

In hac quidem renovata laetitia amplissimi conventus, multa sunt magnae Nobis curae, sed illud maxime quod est de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem societatem plurifariam ordinandis. Etenim nemo est qui ignoret, post recens immane bellum, vel novas natas esse Respublicas, vel Respublicas veteres, provinciis sibi adiunctis, crevisse. Iam vero, ut alia omittamus quae huc possumus afferre, patet quae privilegia pridem haec Apostolica Sedes, per pactiones sollemnes conventionesque, aliis concesserat, eadem nullo iure posse hasce Respublicas sibi vindicare, cum res inter alios acta neque emolumentum neque praeiudicium ceteris afferat. Item Civitates nonnullas videmus ex hac tanta conversione rerum funditus novatas extitisse, adeo ut quae nunc est, non illa ipsa possit haberi moralis, ut aiunt, persona, quacum Apostolica Sedes olim convenerat. Ex quo illud naturâ consequitur, ut etiam pacta et conventa, quae inter Apostolicam Sedem et eas Civitates antehac intercesserant, vim iam suam omnem amiserint.

sed novae pactiones iniri possunt, quibus S. Sedes omnino favet.

Verum si qui Rebuspublicis vel Civitatibus quas diximus praepositi sunt, velint cum Ecclesia pacisci concordiam aliis condicionibus quae mutatis temporibus melius congruant, sciant Apostolicam Sedem — nisi quid aliam ob causam sit impedimento — non recusaturam quominus ea de re cum ipsis agat, ut cum aliquot iam agere instituit. Hoc autem vobis, Venerabiles Fratres, denuo confirmamus, in pactiones huiusmodi Nos minime passuros ut quidquam irrepat quod sit ab Ecclesiae alienum dignitate aut libertate ; quam quidem salvam esse et incolumem vehementer interest, hoc maxime tempore, ad ipsam civilis convictus prosperitatem.

Nullus enim negaverit rei civilis religiosaeque consensionem ad tranquillitatem publici ordinis, quod bonum est fundamentum ceterorum, non parum conferre. Etenim pax a populis, tantas in omni genere ruinas perpessis, domi forisque nimium hodie desideratur ; ac tamen summo cum moerore ac sollicitudine cernimus paci sollemnibus consignatae scriptis nequaquam pacem comitatam esse animorum, nationesque fere omnes, Europaeas praesertim, magnis etiamnunc dilacerari discidiis, hisque adeo acerbis, ut ad ea sananda vehementius in dies requiratur Dei miserentis manus, in qua est *virtus et potentia ... magnitudo et imperium omnium* [1].

Paci nondum compositae, sed conciliandae Deus favebit,

Ad ipsius igitur confugiamus clementiam eamque non solum prece supplici imploremus, sed etiam conciliare studeamus oportet, cum sanctius vitam instituendo, tum vero in calamitosos, quorum nunc ubivis maxima, si unquam alias, copia est, beneficentiae officia frequentando. Quoniam autem huius rerum omnium perturbationis, in qua versamur, ea in primis duplex est causa, quod vario ducuntur errore mentes, et quod flagrant invidia animi nimis multorum, magnificandus est *dives in misericordia*

[1] I *Par.* XXIX, 12.

Deus qui anno vertente duplicem pariter occasionem obtulerit hominibus ad medendum utrique rei mirifice accommodatam. Sacra sollemnia dicimus anni septingentesimi ex quo et Pater legifer Fratrum Minorum Franciscus Tertiariorum suorum ordinem instituit et Fratrum Praedicatorum legifer item Pater Dominicus excessit ad Deum : nam dubitandum non est quin ex sanctissimorum recordatione virorum populus christianus excitari se senserit ad studium cultumque delapsae de caelo tum caritatis tum veritatis. Praeclare enim magnus ille Poeta catholicus — cuius ipsius memoria saecularis per hos menses iure quidem ac digne a nostris celebrata est — duorum Patriarcharum laudes uno complexus praeconio, « alterum caritatis ardore seraphicum, alterum, sapientiâ, cherubicae lucis splendorem » appellat. Itaque, Deo adiuvante, instituta in eorum honorem sollemnia tanto piorum studio tantaque frequentia peracta sunt, ut existimare liceat non ad levem quandam et fugacem inflammationem animorum ea recidisse, sed incrementum inde acceptum fidei mutuique amoris in multitudine solidum esse atque mansurum.

qui maiore fiducia implorandus est occasione sollemnium in honorem S. Franc. Assis., S. Dominici et Dantis, maximi poetae christiani.

Quamquam vero his malis, quibus humana societas premitur, medicinam praesentem efficacemque maxime a Deo petimus, non tamen praetermittenda dicimus aut neglegenda quaecumque recta ratio ususque rerum suadeat remedia et praesidia. His enim adhibendis sive remediis, sive praesidiis, communi bono consulere proprium est eorum officium qui populos regunt, tametsi eos iisdem unice confidere, Dei ope neglecta, nefas est. Nos igitur perlibenter, Venerabiles Fratres, videmus complurium Civitatum legatos his diebus Washingtonum convenisse ob eam causam ut de immodicis rei militaris sumptibus minuendis inter se consultarent. Quorum consilia optamus cupimusque prosperum successum habeant, eisque ut lumine sapientiae suae Deus adsit, cum optimo quoque suppliciter precamur ; neque enim solum id agitur, quod sane magnum est, ut intolerandis iam oneribus populi releventur, sed etiam, quod est maius, ut bellorum, quoad possit, pericula multo remotiora iam fiant.

SS. D. gaudet de conventu in Washingtono coacto.

---

166. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Litterae de dioecesibus erigendis, mutandis,* etc.

1. Bulla d. 13 maii 1921, Praelatura *nullius de Rio Branco,* in Brasiliana Republica, aggregata est *Abbatiae B. M. V. de Monteserrato Pluminis Ianuarii,* ea lege ut Abbas eiusdem abbatiae illud territorium, sine lege residentiae, per Vicarium aliosque religiosos viros regere possit. Exsecutor deputatur R. D. H. Gasparri, arch. tit. Sebasten., in Brasiliana Rep. Nuntius Apost. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 370.)

Praelatura nullius de Rio Branco (Brasilia).

2. Bulla d. 11 febr. 1921, pars territorii ab archidioecesi *Mariannen.,* in Brasilia, avulsa in dioec. *Bellohorizontan.* erigitur, urbe episcopali « Bello-Horizonte », quae suffraganea erit praedictae sedis metropolitanae. (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 336.)

Mariannen. et Bellihorizontan. (Brasilia).

Antioquen. Ierocoën. et S. Rosae de Osos (Columbia).

3. Bulla d. 5 febr. 1917, tria decernuntur, sc. 1° Pars septentrionali et orientalis dioecesis *Antioquen.* in Columbiana republica in novam dioecesim *S. Rosae de Osos* erigitur nova dioecesis Suffraganda fit eccl. metrop. Medellen.; 2° pars reliqua dioec. unitur principalite cum dioeces *Ierocoën.*, ita ut unus episcopus duas dioeceses simul in perpetuum regat 3° ad huc duplici dioecesi attribuitur paroecia *El Carmen*, ad huc pertinens ad praefecturam apost. de Chocó. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 457.)

Novae-Aureliae et Lafayetten.

4. Bulla 11 ian. 1918, pars archidioecesis *Novae-Aureliae* in novam dioecesim *Lafayetten.* constituitur, praedictae ecclesiae suffragan. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 461.)

Olinden. Recifen., Nazaren. Garanhunen.

5. Bulla 2 aug. 1918, ab archidioecesi *Olinden.-Recifen.*, in Brasilia, distrahuntur duo territoria quae in dioeceses *Nazaren.* (Nazareth) et *Garanhunen.* (Garanhuns) constituuntur. Praeterea sedes episcopalis dioecesis *Floresten.*, a° 1910 ab archid. Olinden. dismembrata ex urbe Floresta in civitatem Pesqueira transfertur. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13. 463.)

Misnen. (Germania).

6. Bulla 24 iun. 1921, suppressis Vicariatu Ap. *Saxoniae* et Praefectura Ap. *Lusatiae*, eorum territorium restituitur dioecesi *Misnen.* cuius urbs *Bautzen* erit sedes episcopalis. Capitulum collegiale a S. Petro in *Bautzen* erigitur in cathedrale, servatis omnibus privilegiis, exceptis quae ad electionem membrorum et ad iurisdictionem Decani in populum pertinent. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 409.)

Eupen. et Malmedien.

7. Bulla 30 iul. 1921, ex provinciis a Germania ad Belgium foedere Versalien. translatis constituitur dioecesis *Eupen. et Malmedien.* quae ab Archidioecesi *Colonien.* distracta principaliter unitur dioecesi *Leodien.* Regetur ab Administratore seu Delegato episcopi Leodien. nova dioecesis, in qua episcopus Leodien. per aliquem anni mensem residere debebit. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 467.)

B. *Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis apostolicis erigendis, mutandis.*

De Tierradentro.

1. Litteris 13 maii 1921, erigitur nova Praefectura apost. « *De Tierradentro* » in Columbia, parte territorii distracta ex archidioecesi *Popayanen.* Nova Praefectura committitur sodalibus Congregationis missionis. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 377.)

De Bamako et de Onaghadongon. (Sudan Gallic.)

2. Litteris 22 iul. 1921, Vicariatus ap. Saharensis in duplicem Vicariatum *De Bamako* et *de Onaghadongon* dividitur, qui committuntur Instituto Missionariorum Africae. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 376.)

Ce-li et Sciam-Tom.

3. Litt. 3 iun. 1921, pars territorii Vicariatus ap. de *Ce-li* meridio-orientali, ad orientem fluminis Hoang-Ho (Fl. Flevi) sita, separatur et adicitur Vicariatus ap. de *Sciam-Tom* meridionali. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 415.)

Nankinen. et de Ngang-hoei et Kiang-sou).

4. Litt. 8 aug. 1921, territorium provinciae civilis *de Ngang-hoei* in Vicariatum ap. eiusdem nominis erigitur, distractum a Vicariatu ap. *Nankinen.*, cuius nomen iam *de Kiang-sou* erit. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 469.)

Natalen. de Mariannhill.

5. Litt. 10 sept. 1921, a Vicariatu ap. *Natalen.* separatur pars territorii ad meridiem vertens, in eaque erigitur Vicariatus ap. *de Mariannhill*, cuius cura committitur religiosis Congregationis de Mariannhill. (A. A. S., 2 nov. 1921, 13, 491.

6. Brevi 22 oct. 1921, territorii praefecturae apostolicae Slesvigis-Holsatiae ea pars, quae ob belli eventum a Germania distracta Daniae est attributa, adiecta est Vicariatui apostolico Daniae (A. A. S., 1921, 13, 553).

C. *Litterae de Basilicis et ecclesiis* (De ipsa re, cf. supra, p. 285, G).

Basilicae minores declarantur :

1. Brevi 26 apr. 1921, cathedrale templum *Samogitiense*, in Lituania, in saec. XV a cura Vytauti, magni Ducis Lituaniae, gothico stylo exstructum, nunquam variis calamitatibus plene destructum et novo usque zelo instauratum, futuram sedem praecipuarum sollemnitatum civilium (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 339.) *Eccl. cathedr. Samogitien. (Lituania).*

2. Brevi 25 maii 1921, ecclesia *S. Dominici*, vulgo « *Maggiore* », *Neapoli*. Praestat aetate (med. saec. XIII°), nobilitate, operibus artis, insignibus reliquiis. In continente coenobio S. Thomas Aq. commoratus est (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 375.) *Eccl. S. Dominici Maggiore (Neapoli).*

3. Brevi 16 maii 1921, ecclesia archipresbyteralis et collegiata *S. Stephani* civitatis havanien., in dioecesi *Clavaren.* (prov. Gennen.). Nobilis est tum vetustate, tum artis operibus, tum praesertim splendore divini cultus et pietate fidelium. In ipsa civitate exstiterunt inter alios praeclaros homines duo Romani Pontifices, septuaginta duo Cardinales, et sancta Catharina Plirca Adurna (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 412.) *Eccl. S. Stephani (Clavaren.)*

4. Brevi 28 maii 1921, ecclesia metropolitana S. Ioa. Evang. *Limana* (Peru). Cuius primum lapidem posuit, ut fertur, ipse Franc. Pizarrus. Primatiali titulo decoratur (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 413.) *Eccl. S. Ioa. Evang. (Limana).*

5. Brevi 1 iul. 1921, ecclesia cathedr. *Burgen.* B. M. V. sideribus receptae dicata. Erigi coepta anno 1221, praeclaris donis ditata est (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 418.) *Eccl. cath. B. M. V. in coelum Assumptae, Burgen.*

6. Brevi 10 aug. 1921, eccl. *Annuntiationis B. M. V.* oppidi *Tollina*, in dioec. *Ceneten.* (Italia). Inclyta est effigie marmorea B. M. V., quam fideles undique venientes pro cultu prosequuntur. Abbatia Cistersiensium ad quam pertinet habuit, tamquam Praesules, eum qui Pauli II nomine Ecclesiam erat recturus et S. Carolum Borrom. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 470.) *Eccl. Annuntiationis B. M. V. (Tollina).*

7. Brevi 23 aug. 1921, sanctuarium *B. M. V. in coelos assumptae, O. S. F., in monte Alverna*, dioec. *Aretin.* Erectum fere statim post obitum S. Franc. Assisien., non operum tantum artis copiam habet sed populi eximio cultu gaudet (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 472.) *Eccl. B. M. V. in coelos Assumptae (in monte Alverna).*

8. Brevi 5 oct. 1921, ecclesia cathedr. *Monopolitana* (in Apulia). Condita est a S. Romualdo episcopo, in saec. XII, fulget imagine miraculis inclyta B. M. V., quae a. 1769 aureo diademate est redimita (A. A. S., 2 nov. 1921, 13, 492.) *Eccl. cathedr. Monopolitana.*

9. Brevi 20 oct. 1921, ecclesia *B. M. V. a miraculis*, in civitate *Mauriac*, dioec. Sancti Flori. Exstructa saec. VI, ante dimidium saec. XII iterum condita, mirifice ornata, possidet miraculis inclytum B. M. V. simulacrum, quod a Pio IX, a° 1855, aureo diademate est redimitum (A. A. S., 1 nov. 1921, 13, 493.) *Eccles. B. M. V. a miraculis in Mauriac.*

D. *Litterae de indulgentiis et privilegiis.*

Sodalicium N. Dominae a Bona Morte.

1. Brevi 31 maii 1921, *sodalibus Nostrae Dominae a Bona Morte* rec tantibus preculam : « Pater sancte », et sacrum litandum curantibus a gratiam pii obitus sibi aliisve impetrandam, plures indulgentiae, etia plenariae, conceduntur. Quibus litteris summopere commendatur fidelib ut pro sua perseverantia et pia morte sacra celebranda curent potius qua hanc curam pro se mortuis aliis committant, cum fructus Missae certius uberiores vivis quam defunctis applicentur. (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 343

Precula pro pace in Italia.

2. Chirographo 25 iul. 1921, conceduntur recitantibus preculam « Dio di Contà » ad impetrandam Italorum genti pacis et concordiae recon ciliationem indulgentia 300 d. *toties quoties* et indulg. plenaria, sub cor suetis condicionibus, semel in mense iis qui semel singulis diebus po totum mensem recitaverint. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 369.)

Associatio de triplici Ave Maria fit Archisodalitas.

3. Brevi 30 iul. 1921, 1° erigitur in Primariam associatio a ter repetit angelica salutatione, vulgo « *Œuvre de propagande des trois Ave Maria* » Blesii (in Gallia) instituta, cum facultate aggregandi ubique terrarum 2° conceduntur sodalibus indulgentiae plenariae et, si sint sacerdote privilegium altaris privilegiati, moderatoribus vero facultas annectend crucibus, etc. varias indulgentias; 3° conceditur ut in invocatione « Mater mea, libera me hodie a peccato mortali » verbum « hodie » in ha « durante hoc die », « durante hac nocte » mutare possint, integra indul gentia. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 419.)

Eucharisticum foedus.

4. Brevi 27 apr. 1921, pia *associatio* sub titulo « *Eucharistici foederis* » Mediolani, in ecclesia annexa coenobis Carmelitarum Excalceatorum erigitur in Archiconfraternitatem sive Primariam, cum omnibus harum privilegiis ad normam iuris. (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 340.)

Opera apost. a X. operario.

5. Brevi 8 apr. 1921, *opera apostolica a Iesu Christo operario*, fundata in aede ad Sanctae Clotildis, Genevensis urbis, pro salute et sanctificatione operariorum curanda, in Primariam sive centralem erigitur, cum facultate aggregandi eiusdem nominis societates ubique terrarum. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 372.)

E. *Epistolae variae.*

De populo Russiaco.

1. Epistola 5 aug. 1921 ad Card. Gasparri, a secretis status directa, S. Pontifex declarat quantopere doleat de misera maximae populi Russiaci partis condicione eumque invitat ut quibus potest mediis auxilium omnium nationum miseris illis conciliet. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 428).

De doctrina spirituali S. Thomae.

2. Epistola 15 sept. 1921, laudatur studium R. P. Vinc. Bernadot, O. P., in moderado periodico « La Vie spirituelle ». Etenim praestantiae doctrinae S. Thomae « ... accedit quod cum multi hac aetate supernaturalem vitam negligant, vel, eius loco, vanum quendam colant mollemque pietatis sensum, necesse omnino est ut saepius recogitetur quid hac in re tradiderint, una cum Sacra Scriptura, sancti Patres, idque Aquinate praesertim magistro, qui quidem ipsorum doctrinam *de elevatione vitae supernaturalis* tam lucide exposuit; ac praeterea quibus conditionibus proficiat *gratia virtutum et donorum Sancti Spiritus*, quorum perfectio *vita mystica* continetur. Haec vos in commentario vestro doctissime quidem solideque exponere instituistis. » (A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 528.)

3. In epistola d. 30 nov. 1921, ad episcopos Czeco-Slovachiae directa, SS. D. N. gravissimis verbis rectam institutionem cleri in Seminariis dioecesanis commendat. Quae ut obtineatur, sollicita antistitum cura sit ut omnes alumni in integro studiorum curriculo doctrina S. Thomae imbuantur; ipsi per se eos ad studium virtutum et scientiae saepius adhortentur; magistris utantur qui scientia et pietate sint insignes. Quos vero magis excolere voluerint, praesertim ad collegium Bohemum in Urbem mittant (A. A. S., 1921, 13, 554-559). *Recta institutio clericorum in seminariis.*

F. *Erectio Capituli.*

Bulla 17 iun. 1921, S. Pontifex in ecclesia metropolitana *Montisvidei*, in Argentina Republica, capitulum numeratum instituit constantem ex una Dignitate, duobus officiis, paenitentiario sc. et theologali, et septem canonicatibus. Chorale novitium circumscribitur ad Horas minores iis diebus quibus pontificalia habebuntur. Praebendae desunt. Collatio dignitatum, officiorum canonicatuum hac prima vice ipsa bulla conceditur Archiepiscopo Montisvidei. (A. A. S., 1921, 13, 489.) *Capitulum metrop. Montisvidei.*

---

168. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Mutationes in dioecesium finibus, titulo,* etc.

1. Dioecesibus *Insulen.* et *Atrebaten.* respective aggregatur (8 iul. 1921) particula territorii in qua duo parochi, alter ex una dioecesi, alter ex altera, curam animarum per vices exercuerunt. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 382.) *Insulen. et Atrebaten.*

2. Vicus apud *Unterkamenzen* a paroecia Stankoviensi dioec. *Budvicen.*, ecclesiae Holleischensi, archidioec. *Pragen.* perpetuo unitur, 28 iul. 1921. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 433.) *Pragen. et Budvicen.*

3. Paroeciae *Kischineff*, *Bender*, *Bicley*, *Chotin* et *Krassna*, quarum territorium iam Romaniae addictum est, a dioec. *Tiraspolen.* avulsae in perpetuum dioecesi *Iassen.* adiciuntur, decr. 2 aug. 1921. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 434.) *Tiraspolen. et Iassen.*

4. Decr. 30 aug. 1921, pagus *Komovôv* a dioecesi *Tarnovien.* separatus dioecesi *Premislien. Latinorum* unitur. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 475.) *Premislien. Latinorum et Tarnovien.*

5. Decr. 31 aug. 1921, commutantur fines archiv. *Monacen. et Frisingen.*, aggregato pago *Achrain* paroeciae Murnau, dioec. *Augustan.* Vindelicorum. (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 476.) *Monacen. et Augustan.*

6. Decr. 22 oct. 1921, mutantur fines dioec. *Podlachien.*, pago *Kopina* aggregato paroeciae loci Cyców, dioec. *Lublinen.* (A. A. S., 2 nov. 1921, 13, 497.) *Lublinen. et Podlachien.*

B. *De proponendis ad episcopale ministerium in Mexicana Republica.*

1. Decreto *Quo expeditiori* 30 apr. 1921, S. C. Consistorialis, extenduntur ad rempublicam Mexicanam normae quae pro Canadensi dominio statutae erant de exquirendis et proponendis viris qui ad ministerium episco- *Candidati ad episcopatum in Mexicana republ.*

pale dotes habent. Sed coetus episcoporum singulis tantum triennii at saltem quinquenniis habendi sunt. (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 379. *Per.* n. 25, E, p. 58.)

In Polonia. 2. Decreto *Ad proponendos*, 20 aug. 1921, S. Congr. Consistorialis easdem fere normas definivit pro dioecesibus ritus latini in Polonia. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 430.)

---

169. — S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO 4 IUL. 1921

De probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii

(A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 348.)

Ex negligentia quorundam parochorum secundum matrimonium non raro contra fas attentatur.

Iterum conquesti sunt haud pauci Ordinarii locorum quod parochi praesertim in exteris dissitisque regionibus ad quas frequentes demigrant ex Europa opifices, horum aliquando matrimoniis assistant, quin praescripta iuris tum de statu libertatis tum de initi matrimonii denuntiatione rite serventur ; ex quo fit ut non raro novum contra fas attentetur matrimonium ab iis qui adhuc priore vinculo astringuntur.

Ad quod malum avertendum iam instructio a SS. est data;

Ad huiusmodi malum praecavendum, quo sacra familiae christianae iura pessumdantur, parentes vinculis damnationis illaqueantur, et filii perversionis periculo facile obiciuntur, haec Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum die 6 mensis martii anni 1911 Instructionem Ordinariis dedit, quae in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*, vol. III, pag. 102, sub die 15 eiusdem mensis vulgata est.

quam iterum ad normam Codicis renovatam dandam S. Congreg. censuit.

Verum ne quis, in negotio tam gravi, huic Instructioni aliquid a Codice iuris canonici derogatum esse putet, Emi Patres huius Sacrae Congregationis in generali conventu die 26 mensis iunii currentis anni habito. eam, ipsius Codicis praescriptionibus suffultam, Ordinariis iterum sequentis tenoris dandam censuerunt.

1. Omnino constare debet de statu libero

1. Ordinarii in parochorum memoriam revocare satagant haud licere ipsis astare matrimonio, ne praetextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinatu, aut praecavendi scandalum coniugii, quod vocant, civilis, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis (can. 1020 et 1097 § 1, n. 1, Cod. iur. can.), iidemque moneantur ne omittant, ad normam can. 1021, baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic in alia paroecia fuerit illis collatus.

et baptismi testimonium exigendum.

2. Denuntiatio initi matrimonii omni ex parte perfecta ad parochum baptismi transmittenda.

2. Vi can. 1103 § 2 parochus qui matrimonio interfuit, ad parochum baptismi transmittere festinet initi contractus denuntiationem, quae, ut praescripta eiusdem canonis rite serventur, contineat oportet coniugum eorumque parentum nomina et agnomina, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium pariter nomina et agnomina, denique ipsum parochi nomen et agnomen una cum parochiali sigillo.

Accurate autem edoceatur de paroecia, de dioecesi, ac de baptismi coniugum loco ; ceteraque alia serventur, quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

3. Quo securius sive testimonium de statu libero a parocho nuptu-rientium habeatur, sive denuntiatio de secuto matrimonio ad parochum baptismi perveniat, parochi haec documenta petant vel transmittant per cancellariam Ordinarii loci.

3. Utrumque documentum per cancellariam Ordinarii loci transmittendum.

4. Id autem perpendant parochi oportet, aliqua huiusmodi opificum emigrantium matrimonia, quasi vagorum matrimonia habenda esse, quibus, iuxta can. 1032, *parochus assistere non debet nisi debitam licentiam assistendi ab Ordinario loci obtinuerit.* Quod si de vagis non agatur, tamen difficulter quoad alios emigrantes *abest dubium de existentia impedimenti*, ideoque, iuxta can. 1031 § 1 n. 3, parochus *eorum matrimonio assistere nequit inconsulto Ordinario ;* habito etiam prae oculis praescripto can. 1023 § 2. Hisce de causis haec Sacra Congregatio iubet et mandat ut parochi matrimoniis fidelium de quibus agitur in hac Instructione non assistant, excepto casu necessitatis seu potissimum periculo mortis, inconsulto Ordinario loci.

4. Necessitas consulendi Ordinarium ante matrimonia vagorum.

5. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis de quibus in n. 1, baptismi parochus in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit, per cancellariam Ordinarii, parocho contra fas attentati matrimonii.

5. Quam primum monitio facienda de matrimonio contra fas attentato.

6. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, horumque violatores, si quos repererint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, si opus sit, canonicis sanctionibus.

6. Observatio instructionis Ordinariis commendatur.

SS^mus Dominus Noster Benedictus PP. XV in audientia habita ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis die 26 iunii 1921 hanc Instructionem approbavit et confirmavit, eamque ab omnibus quibus spectat servari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. C. de Sacramentis, die 4 iulii 1921.

Dies (4 iul. 1921).

M. Card. Lega, *Praefectus*
† *A. Capotosti, Ep. Thermem., Secretarius.*

Annotationes

I. Praesens instructio eandem causam et finem habet atque instructio 6 mart. 1911, quam, cum quibusdam incrementis innovat, et quam, notis illustratam, dedimus, *Per.* VI, pp. 22-25.

II. Causa porro est gravissimus abusus, cui belli perturbatio non leve addit incrementum, eorum qui, spreto priore vinculo, novum matrimonium ecclesiasticum attentant. Tria huius abusus damna sic in Instructionis exordio efferuntur : « Sacra familiae christianae iura pessumdantur ; parentes vinculis damnationis illaqueantur ; et filii perversionis periculo facile obiciuntur ».

Remedium autem petitur ex observatis secundum eorum mentem canonibus Codicis. Itaque :

III. 1. Quia longe graviora et diuturniora mala sequuntur ex novo attentato matrimonio, praesertim si veri coniuges civili divortio sint separati, sub nullo praetextu avertendi

fideles a turpi concubinatu vel praecavendi scandalum coniugi civilis, parochi omittere possunt legem qua vetantur matrimonio astare, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis. Nec omittant quaerere testimonium baptismi a contrahentibus qui alib sint baptizati.

In priore instructione praetextus isti non memorabantur

2. Urgetur praescriptum canonis 1103, § 2 quo iubentur parochi documentum matrimonii transmittere ad parochum baptismi. Simulque definitur quid documentum istud con tinere debeat, sicut iam in priore instructione mandatum erat. — In praesenti instructione, verba « Accurate autem edoceatur » faciunt quandam difficultatem, cum nesciatur quodnam sit verbi *edoceatur* subiectum. Difficultas autem solvitur instructione praecedenti, quae haec habet : « In *scriptio* accurate indicet paroeciam, dioecesim, oppidum se locum baptismi coniugum ». Agitur itaque mere de plen litterarum inscriptione. Verum nunc, cum commendetur u documenta petantur et transmittantur per cancellariam Ordi narii loci, plerumque apponendae erunt istae indicationes i interiore involucro quod ad Ordinarium loci mittendum eri

3. Securior via transmittendi testimonium de statu liber et denuntiationem matrimonii sequenda dicitur, ut per cancellariam Ordinarii loci transeatur.

Non putamus tamen his verbis contineri strictum praeceptum semper exsequendum, v. g. cum res agi potest inter parochos vicinos, immo eiusdem urbis. Mens non est exigendi inutiles ambages.

Legi autem plene satisfit si parochus petens scribat ipse ad episcopum parochi quem interrogat, is autem parochus documentum ad Ordinariorum petentis directe mittat. Nullatenus est opus ut uterque parochus ad propriam curiam scribat petitionem vel mittat documentum, ita ut tum petitio tum responsio per ambas curias transeant : haec via saepe nimis longa foret. Ceterum normae a proprio antistite confectae observandae erunt.

IV. Ex toto novus est n. 4 de emigrantibus opificibus, qui vult ut parochi eorum matrimoniis non assistant nisi consulto Ordinario loci. Excipitur casus necessitatis, maxime periculum mortis.

Alius casus necessitatis esse possit si opifices discessuri sint, sine alia proxima occasione contrahendi coram ministro Ecclesiae, nec tempus suppetat adeundi Ordinarium.

V. Fieri potest ut parochus qui recipiat denuntiationem, comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum. Tunc, sicut in praecedenti instructione monebamur, res quantocius significanda est parocho attentati matrimonii[1].

[1] Verba « parocho contra fas attentati matrimonii » sic legenda sunt : parocho loci ubi matrimonium contra fas est attentatum.

Sed nunc vult S. Congregatio ut significatio fiat per mediam cancellariam Ordinarii. Quod istud commodum habet ut Ordinarius de tam gravi re instructus, possit ipse opportuna remedia applicare vel indicare.

VI. Cum plenior sit praecedente, haec Instructio praecedentem supplet, quae proin non iam vigere dicenda est.

---

170. — S. CONGR. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

ACTA SUMMATIM RELATA

Dispensatio ab irregularitate ob defectum totius manus dexterae.

Die 1 iul. 1918, in causa dioecesis L., *irregularitatis ex defectu corporis*, S. C. de Sacramentis concessit ut ad sacros ordines promoveretur clericus qui ob vulnus in bello acceptum, integrae manus dexterae cum arteriis rescissionem pati coactus erat. Ex testimoniis medici et magistri caerimoniarium constabat oratorem, manu affabre facta omnes ritus Missae bene explere posse et calicem, pixidem atque ostensorium valide apprehendere posse, firmiter tenere ac deferre. Episcopus motiva congesserat quibus S. C. ad concedendam gratiam moveretur. (A. A, S., 1 sept. 1921, 18, 436).

---

171. — S. CONGR. CONCILII

ACTA SUMMATIM RELATA

Taxae dioecesanae.

A. Die 11 dec. 1920, in causa dioecesis M. et aliarum, *Taxarum curiae*, S. C. C. respondit : 1° uniformitatem in taxis curiae exigendis in tota provincia ecclesiastica servandam esse nec posse duplicem taxam, alteram maximam, alteram minimam definiri ; 2° pluries vetitum esse quidquam exigere, praeter expensas *materiae*, pro facultate concedenda exercendi sacros ordines, administrandi sacramenta, concionandi, colligendi eleemosynas, etc. ; 3° nullum emolumentum pro concessis dispensationibus matrimonialibus, sine *expressa* S. Sedis facultate exigi posse (c. 1056). Praeterea S. C. C. vituperat graviorem taxam a sacerdotibus extradioecesanis exactam (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 350-352).

Missa pontificalis et conventualis.

B. Die 13 mart. 1920 et 12 mart. 1921, in causa dioecesis V., *Missae conventualis*, S. C. C. respondit onus applicandi Missam conventualem pro benefactoribus incumbere Dignitatibus *coram* episcopo, sed *non eius nomine* celebrantibus in festis minus sollemnibus. Quando enim episcopus pontificaliter ipse vel per Dignitatem pro se celebrat, haec missa non est conventualis [1] ; ideoque errat De Herdt cum putat hanc missam pro benefactoribus non applicari quia episcopus pro ovibus illa die celebrare debet. luxta c. 419, § 2 applicatio *pro populo* esset per alium procuranda (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 438-442).

---

[1] *S. R. C.* in una Marsorum, 12 nov. 1831, ad 20, n. 2682.

Recitatio divini officii ab episcopo in choro.

C. Die 12 apr. 1919, 16 apr. et 9 iul. 1921, in *Lincien. Divini officii*, S. C. C. respondit episcopum, missam pontificalem celebraturum, satisfacere obligationi horae canonicae (Tertiae vel Nonae), recitando preces a *Caeremoniali episcoporum* praescriptas : unitur enim choro tum initio, tum in fine officii expressa recitatione, per medium vero actione liturgica ad officium pertinente impeditur ; non satisfacere vero si Vesperas vel Laudes, aut preces Litaniarum non recitet, non impeditus aliqua caerimonia quae ad ipsum officium, iuxta rubricas, pertinet (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 477-481).

Venatio non clamorosa clericorum.

D. Die 11 iun. 1921, in causa Gnesnen et Posnanien., *circa venationem*, S. C. C. respondit episcopum clericis etiam unicum actum venationis non clamorosae sub poena suspensionis ipso facto incurrendae vetare non posse, nisi graves et speciales adsint rationes. Si vero ob adiuncta locorum hic agendi modus mirationem vel scandalum creet, ad rem sufficere remedia poenalia vel poenitentias, cum in actu unico quietae venationis vix peccatum grave possit committi (A. A. S., 2 nov. 1921, 13, 408-501)

De missis pro singulis stipendiis celebrandis.

E. Die 9 iul. 1921, in causa dioecesis N., *circa stipendia missarum* S. C. C. submovendam consuetudinem declaravit qua in dioecesi N. sacerdotes obruti importunis oblatorum precibus, tot missas in ipso loco *cantandas* accipiant, ut eis exonerandis non sufficiant. Quare de consensu oblatorum, suffecta pluribus missis una missa sollemni vel sollemniori *pro coniunctis intentionibus*, reliquam partem stipendiorum legendis in alio loco missis vel piis operibus destinent. Docendi sunt fideles impossibilitatem cantandi tot missas et necessitatem mittendi multas missas alio in loco cantandas (A. A. S., 2 nov. 1921, 13, 501-504).

De stipendiis integre transmittendis.

F. Die 16 apr. 1921, in causa Montisvidei, *stipendii missarum*, S. C. C. respondit non licere retentionem alicuius partis stipendiorum 1° quod parocho vel rectori incumbat onus quaerendi celebrantem pro novena missarum vel Missis Gregorianis, cum onus istud ad ipsum officium pertineat ; 2° quod parocho incumbat onus complendi novenam vel seriem Gregorianam ; istud enim onus, non ei, sed unice sacerdoti qui stipendia accepit, incumbit ; 3° quod hae missae celebrentur loco funeris sollemnioris, etsi episcopus modicam taxam fidelibus imponere possit, qui, sublata funeris sollemnitate, illas missas celebrandas curent (A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 532-434).

Ius funerandi.

G. D. 9 iul. 1921, in causa Dianen., *iuris funerandi*, S. C. C. respondit solvendam esse portionem canonicam a Capitulo cathedrali Dianen. quoties funus agit fidelis qui proprium in urbe parochum habet. Notandum est electionem sepulturae, etsi per mandatum etiam non scriptum fieri potest, a parentibus vel heredibus loco defuncti fieri non posse : nec silentio parochorum quibus portio non solvebatur inductam esse praescriptionem, cum haec contra ius quod tractum successivum habeat non oriatur nisi ius habens acquieverit repulsae quae petitioni suae opposita est (A. A. S., 23 dec. 1921, 13, 534-537).

172. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM 13 MART. 1921

Quo Congr. Missionariorum Imm. Cordis B. M. V. de Scheut obnoxia fit iurisdictioni S. Congregationis de Propaganda Fide

Quo expeditius Congregatio religiosa Missionariorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis de Scheut ad fidem apud paganos populos propagandam instituta, finem suum consequi valeat, opportunum visum est ut idem Institutum obnoxium fiat, etiam in iis quae spectant ad internam religiosam disciplinam, iurisdictioni huius S. C. de Propaganda Fide.

Qua de re ab infrascripto eiusdem S. C. de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, facta relatione SSmo Dno Nostro Benedicto Pp. XV, die 17 vertentis mensis, Sanctitas Sua, omnibus perpensis, benigne annuit, ac praesens decretum edi iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 18 martii 1921.

G. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus.*
C. Laurenti, Secretarius.

---

173. — S. C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE 3 DEC. 1921

Ad universos locorum Ordinarios litterae circulares tertio exeunte saeculo ab instituta Sacra Congregatione

(A. A. S., 1921, 13, 561.)

Illme ac Revme Domine,

Tertio exeunte saeculo ab instituta S. C. de P. F.,

Gloriosissime memoriae Gregorius PP. XV, Apostolica Constitutione *Inscrutabili divinae Providentiae arcano*, die 22 iunii 1622 lata, Sacram Congregationem Christiano Nomini Propagando sollemniter erigebat, cuius praeclarum non minus quam grave munus esset, missionibus omnibus, ad praedicandum apud omnes gentes Evangelium ubique constitutis vel in posterum constituendis, praeesse, easque moderari et dirigere.

Quot quantaque religionis humanique cultus opera, auspice atque duce Sacra hac Congregatione, Evangelii praecones, inclyto Martyre Fidele a Sigmaringa praeeunte, sive in Europae nationibus, sive in exteris iisque remotissimis regionibus atque insulis, tribus hisce saeculis perfecerint, soli Deo cognitum est.

Messis tamen immensa adhuc manet colligenda ; interminatae regionum

magnitudines incultae iacent, innumerabiles hominum multitudines in tenebris adhuc sedent et in umbra mortis, exspectantes nuntium pacis et et lucis Evangelii.

visum est diem eius natalem sollemniter commemorare,

Tertio itaque exeunte saeculo ab erectione Sacrae Congregationis, visum est diem natalem eiusdem sollemniter commemorare. Decet enim in memoriam revocare quae tot Romani Pontifices, inde a Gregorio XV, curis indefessis, sapientissimis consiliis, opibus inexhaustis, pro sacris missionibus praestiterint.

recolere eius praeclara opera,

Iuvat recolere quam praeclara per hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide, animos ad fidem catholicam atque humanitatem informando, universo terrarum orbi beneficia obvenerint.

ingentes Missionariorum labores,

Iuvat commemorare ingentes labores missionariorum, eorumque utriusque sexus cooperatorum, necnon auxilia in opus christianae evangelizationis conlata, non modo a munificis ac divitibus benefactoribus, sed etiam a tenuioribus christifidelibus, qui sanctissimo eidem operi promovendo nec stipem nec preces suas deesse siverunt.

et praesertim Deo sollemnes referre gratias.

At imprimis convenit sollemnes referre gratias Deo Optimo Maximo, a quo bona cuncta processerunt, atque Immaculatae Virgini Mariae Apostolorum Reginae, quae a divino Filio suo Redemptore Nostro Iesu Christo haec omnia humano generi impetravit.

Quam intentionem SS. D. N. non approbavit tantum, sed ipse promovere voluit,

Quae cum nuper ab infrascripto Sacrae huius Congregationis Cardinali Praefecto exposita fuerint SSmo Dno Nostro Benedicto PP. XV, qui, inde ab initio gloriosi sui pontificatus, sollicitudinem pro regni Dei dilatatione inter praecipuas supremi officii sui curas habuit, idem Summus Pontifex benignissimo laetoque animo, non solum indicenda festa saecularia laudare comprobareque dignatus est, verum etiam ea digna omnino iudicavit, quae Summus ipse Pontifex et praesentia sua honestaret, et largitione caelestium thesaurorum proveheret.

indictis in tres dies quae festum Pentecostes praecedent, exercitiis publicis,

Statuit itaque Sanctitas Sua, ut tribus continuis diebus qui Dominicam Pentecostes futuri anni MCMXXII praecedent, in Urbe habeantur publicae ad Deum precationes pro Fidei catholicae dilatatione ; simulque christifidelibus per opportunas conciones missionum sacrarum opus et graves earum necessitates explicentur.

quibus ipsa sua sanctitas sollemni sacro et homilia finem imponet. Hortatur Ordinarios ut eadem exercitia singuli in sua dioecesi promoveant.

Dominica vero Pentecostes, Sanctitas Sua in Patriarchali Basilica Vaticana Missam sollemnem celebrabit, atque inter Missarum sollemnia homiliam ad populum Ipse habebit de catholicae Fidei propagatione. Edixit praeterea Sanctitas Sua ut de hisce omnibus tempestive totius orbis catholici Ordinarii edocerentur, eisdemque desiderium eiusdem Sanctitatis Suae panderetur, ut, simili ratione, pro temporum locorumve circumstantiis, triduana exercitia pro sacris missionibus, in ecclesiis cathedralibus, paroecialibus, necnon dignioribus aliis ecclesiis singularum dioecesium vel missionum instituantur.

Conceduntur hunc finem indulgentiae et Benedictio papalis.

Quem in finem Sanctitas Sua benigne concedere dignata est Indulgentiam quingentorum, dierum singulis supplicationis diebus lucrandum, necnon Indulgentiam Plenariam in die sollemnis commemorationis, sub consuetis conditionibus. Quas Indulgentias animabus in Purgatorio degentibus applicabiles Sanctitas Sua pariter declaravit.

Concessit insuper Summus Pontifex ut singuli Ordinarii, vel per se vel per sacerdotem sibi benevisum, Papalem Benedictionem impertire possint, in ecclesiis in quibus, ut supra, supplicationes fient.

Optatis SSmi Domini plene respondebunt Ordinarii si litteras dederint pastorales, quibus populis sibi commissis gravissimas missionum causas explicent, et officium, quo fideles tenentur, Deum et Virginem SSmam precandi pro Fidei propagatione, sacrasque missiones adiuvandi pro viribus. *Ordinariis suadetur ut de missionibus litteras pastorales conficiant.*

Itaque, dum per praesentes litteras Summi Pontificis iussa et desideria Tecum communico, Deum ex corde rogo ut diutissime Te sospitem incolumemque servet.

Ex aedibus huius Sacrae Congregationis, die festo S. Franciscii Xaverii anno MCMXXI. *Dies (3 dec. 1921).*

Amplitudinis Tuae

Addictissimus servus
G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus*
P. Fumasoni-Biondi, Arch. Diocletan., Secretarius.

ANNOTATIO

Documenta de sollemnitatibus pro anniversario S. C. de P. F. ad nos pervenerunt cum iam finis istius tomi sub prelo erat. Etsi textum ipsum omittere non placuit, ut missionarii statim mentem et vota S. Sedis cognoscerent, commentarium ad tomum sequentem remittere necesse fuit. I. C., s. I.

Insuper Beatissimus Pater, occasione eiusdem appetentis celebritatis, hanc quoque peculam christifidelium pietati recitandam proposuit :

PREGHIERA PER LA PROPAGAZIONE DELLA FEDE [1]

O Gesù, non è spenta l'eco della parola, con cui la scarsità degli operai Voi mettevate a raffronto dell'immensità di una messe : *messis quidem multa, operarii autem pauci.*

Già sono scorsi tre secoli dacchè l'Apostolica Sede ha provveduto in maniera ordinata e costante all'evangelizzazione degli infedeli. Molti frutti ha raccolto lo zelo dei missionarii inviati dalla Sacra Congregazione di Propaganda Fide : è stato seme di cristiani il sangue versato da quel generoso atleta che, or sono pure tre secoli, segnava le primizie dei martiri della stessa Sacra Congregazione. Ma nondimeno, quanti popoli sono ancora avvolti nelle tenebre dell' ignozanza ! quante genti siedono ancora fra l'ombre di morte ! Oh ! come è doloroso paragonare il numero dei credenti a quello più grande degli infedeli !

---

[1] Oratio latine sic reddi potest :

O Iesu, etiamnum percipiuntur verba, quibus raritatem operariorum opponebas immensitati messis : *messis quidem multa, operarii autem pauci.*

A tribus iam saeculis Apostolica Sedes providit modo ordinato et constanti evangelizationi infidelium, multos fructus collegit zelus missionariorum a S. Congregatione de Propaganda Fide missorum : semen christianorum fuit sanguis profusus ab illo generoso athleta qui, ante tria saecula, constituebat primitias martyrum eiusdem Sacrae Congregationis. Nihilominus, quot populi adhuc in tenebris ignorantiae sepeliuntur [obvolvuntur] ! quot gentes adhuc in umbra mortis sedent ! oh ! quanto dolori est conferre numerum credentium cum numero multo maiori infidelium.

Un tale paragone mentre ci fa apprezzare meglio l'ammirabile lume della Fede da cui noi siamo guidati nel terrestre pellegrinaggio, ravviva insieme nell'animo nostro il ricordo di quelle altre divine parole: « Pregate dunque il padrone della messe che mandi operai alla sua messe »: *Rogate ergo dominum messis ut mittat operaris in messem suam.*

Voi, o Signore, siete il padrone della messe, in cui è raffigurata la moltitudine degli nomini. A voi dunque domandiamo di moltiplicare il numero di missionarii, di accrescere lo zelo e di benedirne le fatiche, affinchè il buon seme della divina parola dia frutti abbondanti, da raccogliere nei celesti granai.

Esaudite, o Signore, questa preghiera a noi suggerita dal desiderio di vedere esteso il vostro santo regno. E, poichè più dal cuore che dal labbro ci esce ogni giorno la bella aspirazione: *adveniat regnum tuum*; date a noi fermezza e costanza nel proposito che pur vi presentiamo, di concorrere in ogni miglior modo possibile, e secondo la misura delle nostre forze, a favorire l'opera della Propagazione della Fede.

Concediamo a tutti i fedeli, per ogni volta che reciteranno la presente preghiera, l'Indulgenza di 300 giorni, e a quelli che l'avranno recitata ogni giorno, la Plenaria una volta al mese alle consuete condizioni.

Dal Vaticano, 17 novembre 1921.

BENEDICTUS PP. XV

Haec comparatio, dum maiorem nobis aestimationem ingerit admirabilis luminis Fidei quo ducimur in terrestri peregrinatione, renovat simul in animo nostro memoriam illius quoque divinae vocis: « *Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam* »

Tu, o Domine, dominus es messis in qua figuratur multitudo hominum. A te ergo petimus ut augeas numerum missionariorum et zelum, eorumque laboribus benedicas, ut bonum semen divini verbi uberes fructus producat, qui in coelestibus horreis colligantur.

Exaudi, o Domine, has preces nobis suggestas desiderio videndi extensionem tui sancti regni.

Et, quoniam magis e corde quam e labiis nostris oritur singulis diebus pulchra aspiratio: *adveniat regnum tuum*; da nobis firmitatem et constantiam in proposito quod ceterum tibi offerimus, allaborandi quo meliore possumus modo, et pro mensura nostrarum virium ut operam Propagationis fidei secundemus.

(300 d. ind. toties quoties; recitantibus quotidie, ind. plen. semel in mense, conditionibus ordinariis).

ANNOTATIO. Memores sint canonis 934, § 2: « Si peculiaris oratio in genere assignata fuerit, indulgentiae acquiri possunt quocumque idionate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Paenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem ».

174. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

ACTA SUMMATIM RELATA

1. Decreto 31 mart. 1921, Em. Ludov. Nazar. Card. *Bégin*, archiep. Quebecen., praeses pro Canadensi regione constituitur Piae Unionis cleri pro missionibus (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 354). *Praeses unionis pro missionibus.*

2. Decreto 30 maii 1921, Institutum a Bethlehem dictum, in loco *Immensee* dioecesis Curtae Rhaetorum (Chur) existens, in Seminarium helveticum pro exteris missionibus, sub iurisdictione S. C. de Prop. Fide erigitur (A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 386). *Erectio Seminarii.*

3. *Mutationes in Vicariatuum Apostolicorum etc. finibus, nomine*

a) Decreto 31 maii 1921, pars septentrio-orientalis regionis de *Mayomba* (in Congo belgico) a Vicariatu Apostolico Leopoldopolitano (Léopoldville) separatur et finitimae Praefecturae Apostolicae de Matadi adnectitur (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 354). *In Congo belgico.*

b) Decreto 10 sept. 1921 paulisper immutantur fines inter praefecturas Apostolicas de *Teffé* et *Solimões Superioris* (A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 482). *In Amer. merid.*

c) Ex decreto 1 iun. 1921, Vicariatus Apostolicus de *Fu-Kow* (in Sinis) in posterum nomen habebit de *Yii-Kiang* (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 442). *In Sinis.*

4. *Mutationes in attributionibus Delegationum Apostolicarum*

a) Decreto 21 oct. 1921, Vicariatus Apostolicus insularum *Sandwiegensium* a Delegatione Apost. Australasiae seiunctus Delegationi Apostolicae Statuum foederatorum Americae septentrionalis addicitur (A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 541). *In Australasia.*

b) Item eadem die Vicariatus Apostolicus *Guamensis*, hucusque subditione Delegati Apostolici Australasiae, Delegationi Apostolicae insularum Philippinarum addicendus decernitur (A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 542). *In Australasia.*

5. Rescripto 2 dec. 1921 conceditur singulis sacerdotibus qui ascripti fuerint Piae unioni a missionibus ut anticipare possint vel a meridie recitationem Matutini cum Laudibus subsequentis diei, *dummodo* tamen officium diei iam persolverint (A. A. S., 1921, 13, 565).

Nota condicionem sine qua non (*dummodo*) appositam, qua determinatur momentum a quo post meridiem ex privilegio anticipare licebit. Inde non sequitur ab eo qui tempore e iure communi statuto anticipat, persolvendum primo esse totum diei officium, v. g. Completorium.

I. C., s. r.

---

175. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 2 IUL. 1921

De celebratione Capituli Generalis in Congregationibus iuris dioecesani

(A. A. S., 1 oct. 1921, 13, 481)

Dubia. Huic Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, circa celebrationem Capituli Generalis in Congregatione iuris dioecesani, proposita fuerunt dubia quae sequuntur :

1. De loco Capituli statuendo. I. Utrum ad Ordinarium domus principis Congregationis religiosae iuris dioecesani, quae iam per plures dioeceses diffusa est, spectet ius statuendi locum ubi Capitulum Generale celebrandum sit ; an potius ad Moderatricem Generalem ?

2. De praeside Capituli. II. Utrum eidem Ordinario, de quo in praecedenti dubio, competat praesidere electioni Moderatricis Generalis eamque confirmare vel rescindere ; an potius spectet ad Ordinarium loci in quo electio peragitur ?

Porro Eminentissimi Patres Cardinales, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 17 iunii 1921, re sedulo perpensa, respondendum censuerunt prout sequitur :

Responsa. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ad normam canonum 162 et 507.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam iuxta canonem 506 § d.

Facta autem relatione SS^mo^ Domino Nostro Benedicto divina Providentia PP. XV a R. P. D. Abbate Secretario in Audientia diei 25 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum decisionem seu responsionem approbavit atque publici iuris fieri mandavit.

Dies (2 iul. 1921). Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die secunda iulii 1921.

Th. Card. Valfré di Bonzo, *Praefectus.*
Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

Annotationes

I. Iuridica condicio congregationum dioecesanarum, non parum, ab aliquot annis mutata est. Quando, 8 dec. 1900, Leo XIII primam promulgavit Constitutionem de Institutis votorum simplicium, in praefatione scribere potuit : « Quaenam episcoporum iura esse oporteat... ad dioecesanas consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum ; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate [1] ». Verum, ex quo Pius X, Motu proprio *Dei Providentis*, 16 iul. 1906 (*Per.* II, p. 127),

[1] Cf. nostrum *De religiosis*, tom. II, n. 2, p. 15.

necessitatem induxit consulendi S. Sedem ante erectionem instituti dioecesani, iam dici nequit eadem instituta sola auctoritate Antistitum dioecesanorum inducta esse. Nec iam eorundem tantum auctoritate vigent, cum commune ius Codicis de religiosis ad eadem per se sit applicandum.

II. Huius iuridicae condicionis novum exemplum dat presens responsio ad I, S. C. *de Religiosis*. Quod enim canon 162 universaliter statuit : « Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii praeses, statuto modo, *loco* et tempore electoribus conveniendi, convocet omnes de collegio » S. C. *de Religiosis*, ex c. 507, applicat ad Superiorissam : ipsa est collegii praeses ; ad ipsam ergo pertinet convocare electrices et locum congregationis definire.

Observes tamen, in ipso c. 162, reservari peculiares constitutiones. Si ergo Constitutiones locum capituli determinent, vel si determinationem in arbitrio ponant episcopi domus principalis, Constitutiones istae servari possunt et debent.

III. Altera responsio innititur aequali iure quod cc. 495, § 2 et 498 agnoscunt singulis Ordinariis locorum in quibus congregatio dioecesana domicilium habet ; et canone 506, § 4 qui potestatem confirmandi et rescindendi electionem tribuit Ordinario loci in quo electio peragitur. Haec iuris dispositio magis absoluta est. Huic ergo nec per Constitutiones nec per pactionem episcoporum derogari potest.

---

176. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECLARATIO 26 OCT. 1921

Circa religionum constitutiones Codici conformatas, S. Congregationi pro revisione subiciendas, ex decreto 26 iunii 1918

(A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 538.)

Quo facilius vitentur impedimenta revisionis Constitutionum emendatarum, servanda quaedam proponuntur.

Iam inde ab anno 1918 haec Sacra Congregatio mandavit ut omnes religiones iuris pontificii suas regulas seu constitutiones ad praescripta Codicis iuris canonici conformatas emendarent, ac textum emendatum eidem pro revisione subicerent.

Verum non pauca obstiterunt quominus revisio expedite procederet ; praeterquam quod numerus ingens constitutionum iam tempus non breve exigat pro revisione, plures ex illis quae ad Sacram Congregationem missae fuerunt, non respondent conditionibus necessariis ad hoc ut textus emendatus probari possit.

Ut haec vitentur incommoda, Sacra Congregatio monet Moderatores et Moderatrices generales religionum, nec non monialium Antistitas, ut in hoc negotio sequentia prae oculis habeantur :

1. Documenta mittenda ad S. S.

I. Ad hanc Sacram Congregationem mittendae sunt tantummodo constitutiones seu statuta aut quocumque alio nomine appellentur, quibus regitur religio, quorum textum a Sede Apostolica approbatum fuisse constet.

2. Cura emendationis cuinam competat.

II. Cura emendandi textum Codici conformatum sit ipsi Ordini aut religioni vel monasterio, et duplex exemplar, ita emendatum, mittatur ad hanc Sacram Congregationem.

3. Necessariae emendationes fiant ad normam Codicis.

III. Emendetur textus tantummodo in iis in quibus constitutiones Codici opponuntur, vel aliquid addatur si deficiat, et adhibeantur, quoad fieri potest, verba ipsius Codicis.

4. Pro emendationibus non necessariis separatae preces mittantur.

IV. Si occasione huius revisionis aliqua religio velit quasdam mutationes non necessarias, seu a Codice non praescriptas, in constitutiones inducere, hoc ne fiat in textu emendato, de quo superius, sed mittantur ad Sacram Congregationem, pro facultate obtinenda, separatae preces, in quibus et textus iampridem approbatus et textus propositus per extensum referantur, rationésque immutationem suadentes proferantur.

Consensus pro his mutationibus requisitus.

Petitio autem non acceptabitur ab hac Sacra Congregatione nisi immutationes in Capitulo generali fuerint discussae et approbatae. Si tamen agatur de minoribus aut de verbis substituendis, vel de abrogandis usibus qui in desuetudinibus ob temporum et morum diversitatem iam abierint, aut aliis similibus, sufficiat consensus Consilii generalis.

5. Conformitas textus pro diversis domibus Ordinis aut Instituti.

V. Ne autem discrepantiae oriantur in textu constitutionum identico, quibus diversae domus aut monasteria sui iuris eiusdem Ordinis aut Instituti utuntur, statuit Sacra Congregatio pro talibus constitutionibus unicum emendationum textum ab omnibus et singulis domibus esse acceptandum, vel cura ipsarum domorum propositum, vel cura huius Sacrae Congregationis exaratum.

Dies (26 oct. 1921).

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 26 octobris 1921.

Theodorus Card. Valfrè di Bonzo, *Praefectus*,
Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

Annotationes

I. Ratio praesentis declarationis (quae non in plenario coetu, sed in minore, qui « Congressus » vocatur decreta et conscripta videtur) haec potissimum est, ut nimium onus quod revisione tot constitutionum religionum imponebatur, aliquantisper levaretur. Accedit ratio obtinendi documentum quod magis ad finem legis sit aptatum.

Ideo temperatur decretum 26 iun. 1918, quod universali ratione praecipiebat ut « omnes et singulae iuris Pontificii religiones, itemque quaevis Societates sine votis publicis, sive virorum sive mulierum, in communi viventium » una cum relatione de statu Instituti, examini S. Congregationis

emendationes textus Regularum et Constitutionum suarum subicerent.

Nunc autem, n. I mittendae tantum dicuntur constitutiones seu statuta... quorum textum a Sede Apostolica approbatum fuisse constat.

Quae ergo religiones facultatem habent sibi condendi Constitutiones seu leges aequipollentis valoris, sine approbatione S. Sedis, haec quidem ad Codicem aptare, non autem S. Congregationi exhibere debebunt.

II. Monentur religiones, ipsi Ordini aut religioni vel monasterio, non autem S. Congregationi seu eius consultoribus incumbere laborem accommodationis.

III. Omissis emendationibus non necessariis, in solis partibus seu articulis in quibus aliquid deficiat addendum, vel aliquid contrarium Codici corrigendum occurrat, textus emendetur. Ac ne novi textus verba perpendenda sint, adhibeantur, quantum fieri potest, ipsa verba Codicis.

IV. Facile fit ut occasione istius recognitionis, optet religio ut quaedam alia in constitutionibus vel mutentur vel addantur. Ad omnem vitandam confusionem, mutationes istae non sunt faciendae in textu secundum Codicem correcto ; sed distinctae preces, pro facultate obtinenda, sunt mittendae ad H. S. C. « in quibus et textus iam pridem approbatus et textus propositus per extensum referantur, rationesque immutationem suadentes proferantur ».

Hac sua praescriptione S. Congregatio non prohibet quin una eademque occasione religiosi utantur accommodandi suas Constitutiones Codici et eas in aliis quoque punctis perficiendi.

Immo, minime S. Congregationi ingratum erit, ut simul exhibeant textum emendatum secundum praescripta Codicis, et textum novum quem proponunt. Ac si plures sint eiusmodi emendationes, satius erit Constitutiones cum his immutationibus ex integro exscribere.

Verum, ut a S. Congregatione acceptentur, immutationes alicuius momenti debent esse discussae et approbatae in capitulo generali. Aliae, minores aut quibus mere auferuntur quae iam non erant in usu ob temporum et morum diversitatem, cum consensu Consilii generalis, utiliter proponuntur.

Notandum autem est, notabiles immutationes in approbato textu Constitutionum, nisi Codice exigantur, in plenario coetu S. Congregationis esse probandas. Quare tunc non satis erit duo mittere exemplaria, sed quadraginta erunt praestanda.

V. Attendenda etiam est nova dispositio numeri V. Si diversae domus, etiam sui iuris, eiusdem Ordinis vel Insti-

tuti, identico textu Constitutionum utuntur, ne oriantur diversitates, unus textus emendationum ab omnibus et singulis domibus istius Ordinis erit acceptandus, sive ipsae domus, sive ipsa S. Congregatio textum illum exaraverit.

Casus iste non est domorum sui iuris, quae iam diversis Constitutionibus reguntur, etsi unius sint Ordinis vel Instituti. Sic tres familiae Ordinis S. Francisci diversis Constitutionibus utuntur.

VI. In hac declaratione de solis constitutionibus agitur, nec quidquam detrahitur decr. 31 mart. 1919, quo iubentur superiossae congregationum et piarum societatum iuris pontificii subicere S. Sedi « Directoria » et « Consuetudines » sui Instituti. (Cf. supra, n. **33**, p. 68.)

---

177. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

INSTRUCTIO 3 NOV. 1921

De secundo noviciatus anno

(A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 539.)

Certae normae pro secundo noviciatus anno praescribuntur.

Plures exstant religiones in quarum constitutionibus praescribitur alter nóviciatus annus et facultas fit Superioribus adhibendi tyrones, eo perdurante, in operibus Instituti exercendis. Ne vero exinde aliquid detrimenti capiat tyronum religiosa informatio et abusus qui irrepere possent arceantur, haec Sacra Congregatio negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, occasionem nacta revisionis constitutionum singularum religionum ad Codicem conformatarum, rem diligenti studio subiecit et Eminentissimi Patres, in plenario coetu diei 17 iunii 1921, omnibus perpensis, sententiam suam aperuerunt, quae in audientia diei 25 eiusdem mensis SS^mo^ D. N. Benedicto PP. XV relata fuit.

Sanctitas porro Sua sententiam probavit simulque mandavit, ut hac de re instructio ederetur, cui omnes et singulae congregationes religiosae, in quibus secundus noviciatus annus ex constitutionum praescripto peragitur, integre se conformare teneantur.

1. Informatio religiosa in primis continuanda.

I. Quoties igitur constitutiones praescribant secundum noviciatus annum in eoque sinant novicios in operibus propriis Instituti se exercere, hoc liceat, salvis fundamentalibus noviciatus legibus. Ideoque prae oculis habendum est noviciatum esse institutum ad noviciorum animos informandos, in iis quae ad vitia extirpanda, motus animi compescendos, virtutes acquirendas necnon vitam regularem addiscendam per constitutionum studium, pertinent ; ut novitii ad christianam perfectionem per evangelicorum consiliorum ac votorum professionem, in quo praecise cuiusque religiosi finis consistit, tendere discant. Et iure merito noviciatus ultra annum praescribitur in aliquibus Institutis, ex eis praecipue quorum religiosi operibus exterioribus dant operam, quippe qui variis distracti

curis, saeculi periculis magis obnoxii, solidiore atque firmiore spiritus fundamento egent. Quamobrem mandat haec Sacra Congregatio ut, etiam secundo noviciatus anno perdurante, ante omnia quaelibet munia disciplina spiritualis vitae apprime curetur.

2. Moderata applicatio operibus Instituti licet.

II. Fas tamen esto, secundo noviciatus anno, novitio vel novitiae Instituti operibus vacare, si id ferant constitutiones ; verum prudenter et moderate id fiat, tantummodo ad novitiorum instructionem ; nec umquam in iisdem operibus tyrones adeo occupentur, ut per se soli officia exerceant (v. gr. : supplendo in scholis magistris aut quasi-magistris absentibus, vel in nosocomiis infirmis ministrando), sed operibus ipsis vacent sub directione et vigilantia gravis religiosi, vel religiosae, qui verbo doceat exemploque praecurrat.

3. Novicii ne in alias domos mittantur nisi ob propriam formationem melius peragendam.

III. Si quando a constitutionibus permittatur ut novitius vel novitia, secundo noviciatus anno, ad opera Instituti extra domum noviciatus mittatur, hoc nonnisi per modum exceptionis agatur et dummodo gravis adsit causa, quae id suadeat : haec autem causa ex parte novitii vel novitiae se habere debet, quatenus in domo noviciatus aut sufficienter institui nequeant, aut ibidem aliter permanere non valeant ; numquam vero, sub quocumque praetextu, sufficiens esse causa possit necessitas aut utilitas religionis, si, exempli gratia, ex deficientia religiosorum novitii in operibus Instituti illis substituerentur.

4. Bimestre ante professionem in confirmando spiritu impendatur.

IV. Sive autem in domo noviciatus, sive extra, tyrones permanserint, duobus ante professionem mensibus ab omni opere externo abstineant, si extra noviciatum fuerint, ad illum revocentur, ut per integrum bimestre ad professionem emittendam, in spiritu suae vocationis firmati, se praeparent.

V. SS^mus Dominus Noster Benedictus PP. XV in audientia habita a R. D. P. Ab. Secretario die 3 novembris 1921 tenorem huius Instructionis approbavit eamque ab omnibus servari mandavit.

Dies (3 nov. 1921).

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis die mense et anno ut supra.

Th. Card. Valfrè di Bonzo, *Praefectus*
Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., Secretarius.

Annotationes

I. *Instructionis opportunitas.* Non pauca Instituta, praesertim votorum simplicium, pro uno anno duos praescribunt noviciatus annos, eo praesertim fine, ut novicii magis probentur atque etiam suae capacitatis in variis officiis specimen dare possint. Quare ipsae Normae, anni 1901, art. 74 permiserant ut « in secundo anno, novitiae, semper sub directione et vigilantia magistrae, studiis vel aliis operibus Instituti moderate vacare possent ; sed in ipsa noviciatus domo, et non extra eam, nisi graves rationes aliter suadeant ».

Codex autem canonicus, de ratione ordinandi alterum noviciatus annum prorsus silet. Mere, c. 555, monet annum istum non esse, ex iure communi, ad valorem necessarium.

Inde, cum unicam, in c. 565, describat rationem instituendi

noviciatum, fuere qui contenderent, hanc disciplinam iam debere esse utrique anno communem.

Cui tamen rationi, alii, et merito quidem, ut nobis videtur, opponebant in ipso Codice distingui quaedam quae per integrum noviciatum exigit et alia quae iubet « in anno » noviciatus, i. e. in anno qui ad valorem requiritur. Sic ad totum noviciatum extenduntur cc. 557 et 568 ; dum c. 565, de disciplina noviciatus, sic exorditur « In anno noviciatus ». Praeterea, severiore sententia, non levis perturbatio induceretur in Instituta quae ideo fortasse duos annos noviciatus praescripserant propter istam copiam aliter probandi novicios, iam in vita spirituali institutos : secundus annus iam iisdem Institutis imponeretur, suo peculiari fine privatus. Legislator praesumi nequit haec voluisse.

Quocirca, in plenario coetu Em. Patres, pro sua sapientia, moderatas istas partes amplexi sunt, ut soli praecaverentur abusus concessae facultatis.

Itaque :

II. In priore articulo vestigia deprehenduntur severioris sententiae. Quare vult ut liceat quidem noviciis se exercere in operibus propriis Instituti, sed salvis fundamentalibus noviciatus legibus, quae ex c. 565 desumuntur. Etiam igitur secundo noviciatus anno disciplina spiritualis, ante quaelibet munia apprime curanda est.

III. Ipsa opera debent instructioni noviciorum, potius quam utilitati Instituti inservire. Quare numquam possunt per se soli officia Instituti exercere, seu titulares esse alicuius munii, etiam si agatur de supplendis (saltem ut existimamus per notabile tempus) magistris absentibus, sed opera exercenda sunt sub directione et vigilantia gravis religiosi vel religiosae.

Et consulto haec dicuntur permitti *secundo anno*. Congregatio enim non supponit hoc in primo anno permitti ; ac menti eius adversaretur ut, inverso ordine, prior annus his operibus, alter vero spirituali institutioni deputaretur.

IV. Gravis causa propter quam novicius vel novicia possit ad opera exercenda extra domum noviciatus mitti, debet se habere ex parte ipsius novicii, qui, v. g. in ipsa domo instrui nequeat : et debet esse exceptio. « Numquam vero, sub quocumque praetextu, sufficiens esse causa possit necessitas aut utilitas religionis, si, exempli gratia, ex deficientia religiosorum novicii in operibus Instituti illis substituerentur ».

Estne ideo omnis usus epikeiae exclusus ? Debetne perire utilissima schola potius quam salvetur per noviciam ? Id non existimamus. Verum S. Congregatio, probe noscens, ubi nulla cernebatur viam tamen reperiri quando omnes

aliae sunt clausae, absolute posuit vetitum, ad tollendos non leves et non raros abusus, praetextu necessitatis excusatos. In casu vero rarae exceptionis, ipsa, in re disciplinari, admitteret, ni fallimur, adagium : « Necessitas non habet legem ».

V. Sapienti monito, vult demum ut ultimum bimestre tempus ante vota, cessent ista opera externa, et novicii se praeparent ad professionem digne emittendam.

VI. Notandum est Instructionem praecipi sequendam omnibus congregationibus religiosis, quo nomine non veniunt Instituta votorum sollemnium.

Restat ut optemus fidelem exsecutionem utilissimae instructionis. Difficultates tamen non sunt dissimulandae, ita ut etiam interdum necessaria futura sit oboedientia paene heroica.

---

178. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM (ROMANA) 22 IUN. 1921

Patriarchalis Basilicae Vaticanae privilegium de Missis SS. Apostolorum Petri et Pauli extenditur

(A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 363).

Precibus Rmi Capituli Vaticanae Basilicae S. Petri annuens, S. Pontifex amplificat privilegium de Missis SS. Apost. Petri et Pauli.

Ad humillimas preces Rmi Capituli Vaticanae Basilicae Sancti Petri de Urbe, amplissimo Emi Dni Cardinalis Archipresbyteri consensu communicatas, et ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, eximiam antecessorum Pontificum munificentiam aemulatus et pietatem in Beatissimum Petrum Apostolorum Principem et Christi Vicarium, per quem pastorem ovium eiusque successores Pontifices et Sanctam Sedem Roma caput orbis effecta, religione divina latissime patet et praesidet, singulare privilegium ex litteris in forma Brevis datis 17 iunii 1836 et decreto S. R. C. diei 9 februarii 1838 elargitum Missae de SS. Apostolis Petro et Paulo eidem Basilicae ad ipsorum Altare in hypogeo erectum quod Maiori Pontificio Altari subest, propensa voluntate et Apostolica auctoritate ita moderari et amplificare dignatus est ; nimirum :

1. Quod ad dies in altari cryptae ;

I. Ut in Missis de SS. Apostolis Petro et Paulo quae in supradicto Altari cryptae celebrantur, non solum eorum die festo et per octavam, sed etiam in aliis Missis, quae de die octava VI iulii ibi permittuntur toto anni tempore, exceptis diebus Epiphaniae, Dominica Palmarum, Maioris Hebdomadae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SSmae Trinitatis, SSmi Corporis Christi, Nativitatis D. N. I. C. et Assumptionis B. M. V., omnibus et singulis sacerdotibus celebrantibus liceat addere *Gloria* et *Credo*.

2. Quod ad altaria in Basilica;

II. Ut privilegium huiusmodi Missae de SS. Apostolis Petro et Paulo cum *Gloria* et *Credo* extendatur ad tria Altaria eiusdem Basilicae, nempe Cathedrae S. Petri Ap., SS. Simonis et Iudae App. et SS. Processi et Martiniani MM., ita tamen ut eo frui valeant tantum: 1) Emi S. R. E. Cardinales; 2) Archiepiscopi et episcopi aliique Ordinarii locorum qui, iuxta canonum Codicis iuris canonici praescripta, ad Urbem, SS. Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedunt et Romano Pontifici se sistunt; 3) Sacerdotes peregrini in ecclesiastica dignitate constituti, et duces peregrinorum ad Basilicam visitandam turmatim confluentium et 4) Neopresbyteri intra quindecim dies a sacra ordinatione suscepta computandos.

3. Diebus hic enuntiatis.

III. Quod extensionis privilegium adhiberi poterit singulis anni diebus, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon Feriis, Vigiliis et Octavis I et II ordinis, quae sint ex privilegiatis. Servatis demum Rubricis aliisque servandis.

Dies (22 iun. 1921).

Praesenti decreto in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 22 iunii 1921.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Per Breve diei 17 iunii 1836 [1], Gregorius XVI declarat altare subterraneum basilicae vaticanae quod maiori pontificio altari subest, tam pro vivis quam pro defunctis privilegiatum, simulque concedit ut, exceptis tantummodo diebus Epiphaniae, Dominicae Palmarum ac totius hebdomadae maioris et Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Iesu Christi et Assumptionis beatae Mariae Virginis, toto anni tempore, missa votiva sanctorum Apostolorum Petri et Pauli a quocumque sacerdote saeculari vel cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis eodem in altari possit celebrari, infra octavam vero eorundem Apostolorum, missa dicatur ut in festo sub ritu duplici. S. R. C. decretum diei 9 februarii 1838 [2] ulterius huius concessionis regulas statuisse videtur. Porro, primitiva concessio ex parte nunc restringitur, ex parte contra amplificatur.

Restringitur quidem cum in hoc altari Missa sanctorum Apostolorum Petri et Pauli iam non permittatur in die Ascensionis, neque in festo Sanctissimae Trinitatis, aut in festo Sanctissimi Corporis Christi; amplificatur, quia ex una parte non iam excluditur octava Resurrectionis quae in

[1] Breve legitur sub die 17 iulii 1836 in Acta Gregorii XVI. *Vol. II, n. CVI, p. 137.*
[2] Hoc decretum non refertur neque in Collectione Gardellini, neque in Collectione authentica Congregationis Sacrorum Rituum.

priori concessione videbatur exclusa, et praesertim quia iam, singulis diebus non exclusis, Missa celebranda erit cum *Gloria* et *Credo* toto anni tempore [1]. Unde concludendum videtur hanc Missam iam concedi ad instar votivae sollemnis, ac proin in illa non admitti nisi commemorationes et orationes huic Missae votivae sollemni pro re gravi convenientes.

Indultum insuper cum aliqua restrictione nunc extenditur ad tria alia altaria eiusdem basilicae, nempe Cathedrae S. Petri Ap., Ss. Simonis et Iudae App. et Ss. Processi et Martiniani Mm. Attamen ad tria illa altaria privilegio frui poterunt soli Eminentissimi S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, episcopi aliique Ordinarii locorum qui iuxta praescripta Codicis visitationem ad limina instituunt, sacerdotes peregrini in ecclesiastica dignitate constituti et duces peregrinorum ad basilicam visitandam turmatim confluentium, neosacerdotes intra quindecim dies a sacra ordinatione suscepta computandos. Neque ad haec altaria privilegium adhiberi poterit duplicibus 1 et 2 classis, diebus dominicis et festis de praecepto servandis, feriis et vigiliis privilegiatis et octavis privilegiatis 1 et 2 ordinis. Ceterum, diebus permissis, haec Missa dicitur eodem prorsus ritu atque in altari cryptae, et in specie, cum *Gloria* et *Credo*.

Ios. Pauwels, s. i.

---

179. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 8 IUL. 1921

Circa missam votivam SS. Cordis Iesu prima feria VI mensis

(A. A. S., 1 aug. 1921, 13, 391.)

Dubium. Sacrorum Rituum Congregationi propositum est dubium : « An feria « sexta post Octavam Ascensionis, si iuxta Rubricas fiat Officium et « Missa de ea, et simul occurrat prima feria sexta mensis, celebrari « valeat una Missa Sacratissimi Cordis Iesu, tamquam votiva sollemnis, « iis in ecclesiis in quibus mane peraguntur devota exercitia in honorem « eiusdem Sacratissimi Cordis Iesu ? »

Responsum. Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit :

---

[1] Usu iam antiquo notum est ibidem pro missa votiva sumi missam quae d. 6 iulii pro die octava assignatur.

« Attentis Rubricis Missalis nuper editi tit. II, n. 3, atque Decretis « S. R. C. 4084 Vallisvidonis diei 29 novembris 1901 et 4093 Romana « diei 26 martii 1902 ad 3, Missa in casu erit dicenda de feria sexta « post Octavam Ascensionis, quae aequiparatur Festo Christi Domini, « cum iisdem tamen privilegiis Missae votivae sollemnis, cum cantu vel « lectae, de Sacratissimo Corde Iesu, pro re gravi, iuxta declarationem « seu Decretum S. R. C. 4271 Baionen. diei iunii 1911, ad II ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Dies (8 iul. 1921). Die 8 iulii 1921.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praef.*
Alexander Verde, Secretarius.

Annotationes

Ex *Additionibus et Variationibus in Rubricis Missalis ad normam Bullae « Divino afflatu » et subsequentibus S. R. C. Decretorum* quae in nova editione Missalis Romani promulgatae sunt, tit. II. n. 3, « Missa votiva cani nequit die in qua fiat officium aut commemoratio, vel occurrat vigilia aut dies infra octavam, quamvis simplicem de identico Domini mysterio... de quo canenda esset Missa ; tunc enim, loco Missae votivae, canitur Missa officio vel commemorationi. vigiliae aut octavae conveniens cum commemorationibus quae in ipsa Missa votiva faciendae essent. » Quae regula sane applicanda est illi Missae votivae de Sacratissimo Corde quae certis in circumstantiis celebrari permittitur feria VI quae singulis mensibus prima occurrit. Sed quaenam sunt illa identica Domini mysteria quae hanc Missam votivam impediunt ? Et certe non esse omnia festa quae in Rubricis sub nomine festorum Domini veniunt, patet ex Decr. 2 iun. 1916 ad 1 [1]. Dicendum videtur hanc Missam de Sacratissimo Corde prohiberi in omnibus et solis festis Christi Domini, quod erui potest tum ex eodem decreto 2 iun. 1916, et decreto 4084, 29 nov. 1901 ad 1, quod hanc Missam prohibet in vigilia Epiphaniae, tum praecipue ex decreto 4093, 26 martii 1902 ad 3, quo haec Missa prohibetur in festo Purificationis « attento mysterio ob quod festum Purificationis B. Mariae Virg. aequiparatur festo Christi Domini, » tum etiam praesenti responso quo eadem prohibetur « feria sexta post octavam Ascensionis quae aequiparatur festo Christi Domini. »

Exinde etiam sequitur eodem modo respondendum esse,

[1] Periodica *VIII, n. 147. p. 262.* Mirae distinctionis qua Dominus a Christo Domino discerni videtur haec est vis, ut Christi Domini sint festa magis personalia circa mysterium vitae suae, dum festa Domini latius accipiuntur, ita ut comprehendant Dedicationem Ecclesiae. Cf. Razón y Fe, t. 46, pp. 98-99.

etiam si in hac feria officium fiat non de ipsa feria, sed de aliquo duplici maiori vel minori aut semiduplici cum commemoratione feriae ; rubrica enim Missam votivam prohibet, non tantum in die in qua fit officium, sed etiam in die in qua fit commemoratio de identico Christi Domini mysterio.

Tandem ex praesenti responso concludere est Missam votivam de Sacratissimo Corde subiacere novis rubricis de Missis votivis sollemnibus pro re gravi, ac proin in ipsa commemorationes faciendas esse quae tit. V, n. 3 in Missa votiva pro re gravi praescribuntur, itemque in fine Evangelium dicendum secundum regulam in iisdem rubricis traditam tit. IV. Quod si Missa votiva ob occurrens officium de indentico Domini mysterio prohibetur, cani vel legi poterit Missa officio vel commemorationi, vigiliae aut octavae conveniens cum commemorationibus tantum quae in ipsa Missa votiva faciendae essent, uti explicite hic dicitur. Ac praeterea, si ob aliam causam impeditur, in Missa unica diei currentis, etsi conventuali, sub unica conclusione addi poterit oratio de Sacratissimo Corde, dummodo non occurrat Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, aut duplex 1 classis Domini primarium universalis Ecclesiae, et in hac Missa item fiunt tantummodo commemorationes et dicuntur orationes quae Missae votivae conveniant.

Ios. Pauwels, s. i.

---

180. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM (URBIS ET ORBIS) 26 OCT. 1921

Nonnulla festa cum Officiis et Missis ad universam Ecclesiam extenduntur

(A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 543.)

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV plurimorum Sacrorum Antistitum votis precibusque obsecundans, atque peculiaribus validisque rationibus permotus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, Festa prouti sequuntur, cum Officiis et Missis propriis et approbatis, ad universam Ecclesiam amodo extendi atque Kalendario et Proprio Sanctorum Breviarii et Missalis Romani in futuris editionibus et respectivis locis inseri statuit ac decrevit :

Festa innovata.

I. Dominica infra Octavam Epiphaniae, Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, duplex maius (cum iisdem privilegiis ac iuribus praefatae Dominicae), Com. Dominicae et Octavae.

II. Die 24 martii, S. Gabrielis Archangeli, duplex maius.

[179. 180]

III. Die 28 iunii, S. Irenaei Ep. et Mart., duplex, Com. Vigiliae, reposito Festo S. Leonis Papae et Conf. in diem natalem 3 iulii.

IV. Die 24 octobris, S. Raphaëlis Archangeli, duplex maius.

Opportunitas sollemnioris celebrationis festorum S. Familiae,

Neminem latet, quantum sit aequum et salutare domesticae familiae ipsique societati consociationem Sanctae Familiae ab Apostolica Sede constitutam, legibus firmatam atque indulgentiis et privilegiis speciatim pro sodalibus et parochis honestatam, fovere ac propagare, et ad hunc etiam finem in universa Ecclesia peculiari ritu liturgico, atque iugi ac fructuosa beneficiorum meditatione et virtutum imitatione, Sanctam Familiam Nazarenam recolere ac celebrare [1]. Nec minus congruum est etiam ad incrementum pietatis, ipsiusque a Sancta Familia consociationis, divinam missionem utriusque Archangeli, nempe S. Gabrielis ad annuntiandum Dominicae Incarnationis mysterium, et S. Raphaëlis cuius collata in Tobiae familiam beneficia in Sacris Litteris describuntur, religiosa celebritate commemorare.

Archang. S. Gabrielis et S. Raphaëlis,

et S. Irenaei, eximii Sedis Romanae propugnatoris.

Hanc occasionem nacto Beatissimo Patri placuit etiam grato animo et liturgico more honorare illum S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi discipulum, Lugdunensem Ep. et Mart. qui in suo opere *Adversus haereses* lib. III, magnificum testimonium in perpetuam memoriam de Romana Ecclesia reliquit, scribens: « Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem « principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos « qui sunt undique fideles... Hac (Romanorum Pontificum) ordinatione « et successione ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis « praeconatio pervenit usque ad nos » [2].

Nec omittendum est quod ex authenticis constat documentis S. Eleutherium Romanum Pontificem a Lugdunensi Ecclesia per litteras de nonnullis quaestionibus consultum S. Irenaeo litterarum latori Apostolicas traditiones quas Romana Ecclesia servaverat illibatas, aperuisse [3].

Initium obligationis decreti.

Itaque idem Sanctissimus Dominus noster omnia quatuor supradicta Festa, sub respectivo ritu, Officio et Missa, approbata et universae Ecclesiae Latini ritus concessa, ab utroque Clero saeculari et regulari aliisque omnibus qui ad divinum Officium recitandum ex praecepto adstringuntur, iussit peragenda inde ab anno 1922 proxime sequenti; facta tamen potestate Ordinariis locorum et Superioribus maioribus Ordinum seu Congregationum regularium, quatenus in Domino ipsi hoc expedire iudicaverint, huiusmodi obligationem pro suis subditis differendi in ulteriorem annum 1923. Servatis de cetero Rubricis atque Apostolicae Sedis Decretis, memorata Festa quoquo modo respicientibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (26 oct. 1921).

Die 26 octobris 1921.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praef.*
Alexander Verde, Secretarius.

---

[1] Cf. *Decr. auth. S. R. C.*, nn. 3777, 3778, 3802 (vol. III).
[2] I. P. Migne, *Cursus Patrologiae,* ser. graeca, vol. VII, col. 849, 851.
[3] Off. propr. Rom. (27 maii) SS. Ioannis I, Urbani I et Eleutherii PP. et MM., lect. VI.

Annotationes

Festa quae hoc decreto ad universalem Ecclesiam extenduntur, iam antea aliquibus locis erant concessa. Sic quod ad festum Sanctae Familiae, decreto 3802, diei 14 iunii 1893, Leo XIII indulsit ut festum sanctae Familiae cum officio et missa propriis a singulis Sacrorum Antistitibus pro clero sibi commissae dioeceseos, atque a religiosis Congregationibus petentibus, sub ritu duplicis maioris, Dominica III post Epiphaniam recoli valeret, simulque mandavit ut in locis ubi hucusque festum sanctae Familiae celebratum erat, illud praefatae Dominicae III post Epiphaniam affigeretur, novumque officium (cuius ipse Summus Pontifex Hymnos exaraverat) cum Missa antiquo substitueretur. Cum autem ex novis Rubricis Breviarii [1], Dominicae, sive maiores sive minores, excludant assignationem perpetuam cuiusvis festi etiam duplicis I classis, excepta Dominica inter Circumcisionem Domini et Epiphaniam, in qua fit officium Sanctissimi Nominis Iesu, et Dominica post Pentecosten, in qua celebratur festum Sanctissimae Trinitatis, decreto suo diei 28 aprilis 1914 [2] S.R.C. statuerat in posterum praedictum festum, ubi fuerit celebrandum, assignatum iri diei 19 ianuarii. Nunc autem supradictae regulae exceptio fit in favorem festi Sanctae Familiae quod iterum Dominicae assignatur, non tamen illi in qua antiquitus erat affixum, in quo non raro ob occurrentem dominicam maiorem impediretur, sed ipsi dominicae quae infra octavam Epiphaniae occurrit. Sic sane festum hoc magis in proprio cyclo retinetur, cum tunc praesertim Ecclesia liturgice recolat mysteria infantiae et vitae absconditae Christi Domini. Quod additur, hoc festum iisdem privilegiis ac iuribus praefatae Dominicae gaudere, ostendit hoc festum aliquomodo ipsi dominicae subrogari; non tamen ipsius dominicae prorsus locum sumit, cum de dominica facienda sit commemoratio. Cum tamen omnia privilegia ac iura dominicae ipsi absolute ascribantur, dicendum videtur in casu quo in dominica peragendum sit officium diei octavae Epiphaniae, festum Sanctae Familiae una cum commemoratione Dominicae in sabbato esse anticipandum. Porro, nullus mirabitur hoc festum ad universalem fuisse extensum Ecclesiam, cum evidens sit mysterium hic celebratum relationem habere ad omnes prorsus fideles.

---

[1] Additiones et Variationes in Rubricis generalibus Breviarii. Tit. V n. 3.

[2] Periodica VIII, n. 12, p. 28.

Officia S. Gabrielis, S. Raphaëlis ac S. Irenaei item antiquis Breviariis continebantur in Proprio pro aliquibus locis, et eorum Missae in Appendice novi Missalis prostant. Officium tamen S. Gabrielis antiquitus affixum erat diei 18 martii, et officium S. Irenaei diei 4 iulii. Quod vero transferatur nunc festum S. Leonis in 3 iulii, quae natalis dicitur, primo aspectu sat mirum videri potest, cum hucusque dies 28 iunii tamquam eius dies natalis haberetur, ut patet tum ex Martyrologio, tum ex lectione VI eius officii in qua dicitur sepultus in basilica sancti Petri quarto kalendas iulii; attamen in aliis codicibus legitur quinto nonas iulii, quae lectio plerumque iam praefertur [1]. Ob translatum hoc officium addenda quoque erit de hoc sancto lectio contracta, adhibenda quotiens de hoc sancto legenda erit nona lectio.

Ios. Pauwels, s. i.

---

181. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM (ROMANA) 9 NOV. 1921

Pro F. V post octavam SS^mi Corporis X^i, Sacratissimi Cordis Iesu Eucharistici Officium proprium cum respondente Missa approbatur

(A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 545.)

Concessio officii cum Missa.

Instantibus compluribus Rev^mis Ordinariis dioecesium, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XV, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Officium proprium cum respondente Missa *Sacratissimi Cordis Iesu Eucharistici* exhibitum et ab ipsa Sacra Congregatione revisum, prouti in separato prostat exemplari, approbare dignatus est, illudque feria V post octavam SS^mi Corporis Christi adhibendum decrevit.

Causae huius concessionis.

Peculiaris ratio et finis huius Festi cum Officio et Missa propriis, ad commemorandum Domini Iesu Christi amorem in Eucharistiae mysterio, enucleatius explicatur in Sacris Litteris et in operibus sanctorum Ecclesiae Patrum ac Doctorum, atque etiam innuitur in illa pia, usitata et a Summo Pontifice Pio VII probata oratione: *Ecco fin dove è giunta*, etc. [2] — Insimul in iteratis supplicantium precibus ipsiusque Beatissimi Patris votis alter finis est, mediante hoc Festo, magis excitare in christifidelium animis fiduciam et accessum in Sanctissimae Eucharistiae mysterium, eorumque corda ferventius inflammare igne divini amoris quo Dominus Noster Iesus Christus, infinita caritate in Cordo suo flagrans, sanctissi-

---

[1] Cf. Kirchenlexicon.

[2] *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le sante indulgenze*, Roma, 1898, p. 106, n. 73.

mam Eucharistiam instituit, suosque discipulos in eodem sacratissimo Corde suo custodit ac diligit, vivens et manens in eis sicut ipsi vivunt et manent in illo, qui in eiusdem sanctissimae Eucharistiae mysterio se nobis offert ac donat, victimam, socium, cibum, viaticum et futurae gloriae pignus.

Hoc autem Festum eadem Sanctitas Sua clero saeculari huius Almae Urbis et singulis dioecesibus petentibus, sub ritu duplici maiori benigne concessit, servatis de cetero Rubricis atque Apostolicae Sedis decretis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 9 novembris 1921.

Dies (9 nov. 1921).

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

Hoc responso quam maxime confirmatur quod scribebat R. P. Vermeersch in Annotationibus ad decretum S. R. C. 28 martii 1914 [1]; immo, cum ex instituto hoc festo, titulus Sacratissimi Cordis Iesu Eucharistici factus sit stricte liturgicus, nihil iam impedire videtur quin, in locis saltem ubi hoc festum est introductum, ecclesiae et altaria dicentur sacratissimo Cordi Iesu eucharistico, eiusque tituli imago seu statua in altari collocetur. IOS. PAUWELS, S. I.

---

182. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 10 NOV. 1921

De ratione recitandi vel cantandi Litanias Lauretanas

(A. A. S., 1921, 13, 566)

DUBIA

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione pro opportuna declaratione :

Dubia.

I. An in Litaniis Lauretanis ita cantari possit prima tripla invocatio ad personas SSmae Trinitatis, ut Sacerdos cantet *Kyrie eleison, Christe eleison,* et populus repetat *Kyrie eleison, Christe eleison,* et postea idem Sacerdos prosequatur *Christe audi nos, Christe exaudi nos,* et populus respondeat *Christe audi nos, Christe exaudi nos ?*

Modus dicendi primas invocationes.

II. An loco dicendi ter *Agnus Dei* in fine Litaniarum, semel tantum dicatur : « Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine, « exaudi nos Domine, miserere nobis ? »

Trina invocatio « Agnus Dei ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis respondendum censuit: *Negative* iuxta Decreta, et

Responsa.

---

1 PERIODICA VIII, *n. 5, p. 14.*

servetur integer Ordo Litaniarum cum indulgentiis adnexis adprobatus, nempe : *Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison*, etc., usque ad finem.

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Dies (10 nov. 1921). Die 10 novembris 1921.

A. Card. Vico. Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

De eodem argumento iam duo responsa superioribus annis data sunt, sc. Resp. *S. Paenitentiariae*, 21 iul. 1819 [1] et *S. Rituum C.*, 15 oct. 1920 [2]. Responso tertium dato urgetur integer ordo Litaniarum et confirmatur commentarius supra de primo responso datus [3].

---

183. — S. CONGR. RITUUM

ACTA SUMMATIM RELATA

Causae beatificationis et canonizationis

A. *Per viam ordinariam non-cultus* (c. 2000).

Maria a Iesu Deluil-Martiny. 1. Die 24 maii 1921, signata est Commissio introductionis Causae Servae Dei *Mariae a Iesu Deluil-Martiny*, fundatricis Congregationis Filiarum Cordis Iesu. Massiliae 28 maii 1841 nata, Maria Deluil-Martiny, post iuventutem in conspicuo domesticarum virtutum exercitio peractam, in pago *Berchem* oppidi Antverpiensis Institutum Sororum fundavit « quae ad culpas a fidelibus, et ab iis praecipue qui sal terrae esse debent, Deo illatas reparandas, continua immolatione victimas caelesti Sponso se offerrent ». Nova Congregatio ab Archiepiscopo Mechliniensi 9 dec. 1872 fuit approbata. Fundatrix vero Massiliae, 27 febr. 1884, ab operario quodam ob socordiam et pertinaciam pluries a Sororibus dimisso trucidata occubuit (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 357).

Dàn seu Giàn. 2. Eadem die 25 maii 1921, signata est Commissio introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii Servae Dei *Dàn* et *Giàn*, in odium fidei, uti fertur, interemptae in regno Annamitico, saeviente persecutione regis Tu-duc inter annos 1858 et 1862. Puella siquidem tredecim annorum, in carcerem conjecta, ceteris concaptivis ipsiusque parentibus fidem deserentibus, mansit invicta, dum per duos annos et ultra carcerem, famem, opprobria, flagella semel aut bis in hebdomada novata, vulnera inde vermibus scatentia, suasiones denique amicorum et parentum sustinere cogitur. Laico christiano animi fortitudinem demiranti respondit puella se per assiduam orationem et Christi gratiam omnia sibi adversantia superare. Suppliciis in carcere extincta obiit (A. A. S., 7 iul. 1921, 13, 360).

---

[1] A. A. S., XII (1920), p. 18. — Cf. supra, p. 245.
[2] A. A. S., XII (1920), p, 548. — Cf. supra, p. 243.
[3] In hoc tomo, p. 246.

3. Die 27 iulii 1921, signata est Commissio introductionis Causae Servae Dei *Annae Mariae Antigo*, monialis professae Ordinis Sanctae Clarae. Perpiniani a. 1602 Hispanis parentibus nata, Ordinem S. Clarae a. 1621 ingressa, Magistrae novitiarum ac deinde Abbatissae munere perfungens, multa variique generis sustinuit contraria. Internas siquidem in monasterio discordias excepit communitatis ob publicas perturbationes expulsionem et exsilium; post reditum in patriam novae in religiosa familiae difficultates invaluerunt. A. 1676, recreata, ut fertur, apparitione B. M. V. et S. Annae, e vivis excessit. Eius corpus pluries abhinc, atque etiam a. 1878 canonice recognitum, integrum et odoriferum repertum est. (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 446). *Anna Maria Antigo.*

4. Die 26 iun. 1921 publici iuris factum est decretum de virtutibus heroicis Ven. Servi Dei *Andreae Huberti Fournet*, fundatoris Filiarum Crucis, vulgo Sororum S. Andreae, defuncti a. 1834 (A. A. S., 1 aug. 1923. 13, 387). *Andr. Hub. Fournet.*

5. Die 14 aug. 1921 decretum est constare de Virtutibus heroicis Ven. Servae Dei Sororis *Theresiae a Iesu infante*, monialis Ordinis Carmelitarum excalceatarum, in monasterio Lexoviensi (*Lisieux* in Gallia) (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 449). *Theresia a Iesu infante.*

B. *Per viam extraordinariam casus excepti seu cultus.*

Die 27 iul. 1921 ratum habitum est rescriptum S. C. Rituum de confirmanda sententia Ordinarii Biturgensis super casu excepto sive cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Dei *Angelo de Scarpettis*, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Beato nuncupato. In civitate Burgi Sancti Sepulcri provinciae Umbriae natus, nomen dedit praefato ordini circa a. 1254. In Anglia praecipue apostolatum exercens virtutibus ac miraculis claruit; obiit in patria circa a. 1306 (A. A. S., 1 sept. 1921, 13, 443). *Angelus de Scarpettis.*

---

184. — S. ROTA ROMANA

CAUSAE SUMMATIM RELATAE

A. *Causa matrimonialis.*

In causa dioec. Z, *nullitatis matrimonii*, S. Rota R., d. 19 maii 1921 censuit causam in qua duplex sententia rotalis lata erat ad novum examen esse admittendam, ob novas extraiudiciales attestationes magni momenti. Non enim requiritur ut nova argumenta sint decretoria, immo nec gravissima cum de restitutione in integrum non agatur, sed de examine causae quae numquam in rem iudicatam transire potest (A. A. S., 23 nov. 1921, 13, 546-548). *Concessio novi examinis.*

B. Die 16 iul. 1920, in causa S. Angeli de Lombardis, *iurium*, S. Rota R. confirmavit partim sententiam rotalem d. 28 febr. 1909 (A. A. S. XII (1919), p. 94), qua repartitis bonorum a « *Fondo Culto* » vindicatorum iuxta decretum episcopi erat facienda. Haec notanda sunt: 1° Emptio litis, quam Archipresbyter, mandato tacito cleri agens, advocato concesserat, etsi prohibita, omni vi non destituitur, cum locum det contractui innominato « facio ut des », sed ad summam extraordinariam *Iura cleri receptitii.*

advocato dandam *speciale* mandatum actoris principalis est necessarium ; 2° clerus receptitius, cum curam habitualem animarum habet, vere rector ecclesiae est, ad quem bonorum administratio et defensio iurium ipsius ecclesiae spectant (A. A. S., 1 Aug. 1921, 13, 392-400).

Reditus cappellaniae aicalis.

C. Die 26 febr. 1921, in causa Bergomen., *reditus cappellaniae*, S. Rota infirmavit sententiam priorem eiusdem Tribunalis datam d. 29 iul. 1919 (A. A. S. XIII, p. 479. *Per.* supr. p. 323). Admittitur praesumptio interpretationis donationis, qua per temporis spatium quinquaginta annorum et amplius, constanter et pacifice conventus eiusque decessores usi sunt ; quam praesumptionem actor minime destruxerit, conventi confirmarunt (A. A. S. 2 nov. 1921, 13, 505-515).

185. — PROVISIO ECCLESIARUM

A. *In consistorio secreto 21 nov. 1921 nominati sunt :*

Bologna R. P. D. Ioan. Bapt. Nasalli-Rocca, archiep. Bononiensis, ex archiepiscopo titulari Thebarum:

Genova R. P. D. Iosue Signori, archiep. Ianuensis (Italia), ex episcopo Alexandrino Statiellorum.

Ia Crosse R. P. D. Alex. Mac Gavick, ep. Crossensis (Stat. foed. Amer. sept.), ex episcopo titulari Marcopolitano.

Ogdensburg R. P. D. Ios. Henr. Conroy, ep. Ogdensburgensis (Stat. foed. Amer. sept.), ex episcopo titulari Arindelensi.

Belhorizon R. P. D. Ant. dos Santos Cabral, ep. Bellohorizontanus (Brasilia), ex episcopo Natalensi.

Annecy R. P. D. Florent. du Bois de la Villerabel, ep. Anneciensis (Gallia) ex episcopo titulari Eeniensi.

Brooklyn R. P. D. Thom. Edm. Molloy, ep. Bruklynensis (Stat. foed. Amer. sept.), ex episcopo titulari Loriensi.

Meaux R. P. D. Ludov. Gaillard, ep. Meldensis (Galliä).

Northampton R. D. Carol. Cary-Elwes, ep. Northantoniensis (Anglia).

Alessandria della Paglia R. D. Nicol. Milone, ep. Alexandrinus Statiellorum (Italia).

León R. D. Nicol. Tijerino et Loaiciga, ep. Leonensis (America centr.).

Chachapoyas R. D. Octav. Ortiz Arrieta, ep. de Chachapoyas (Peru).

In eodem consistorio renunciavit S. P. se confirmasse promotiones et electiones canonice factas in synodo episcoporum Syrorum, Berythi mense februario celebrata, sc. :

Aleppo R. P. D. Theoph. Gabr. Tappouni, archiep. Aleppensis (Syria), ex episcopo titulari Bathnanensi et Sarugensi.

Emesa R. P. Ios. Giorgi, ep. Hemesensis et Apamiensis (Phoenicia).

Ope S. C. Consistorialis nominati sunt :

Alexandria 28 iun. 1921 R. P. D. Felix Couturier, ep. Alexandrinus in Ontario (Canada), ex episcopo titulari Myriophytensi.

Almeria 18 iul. 1921 R. P. Bernard. Martinez Noval, ep. Almeriensis (Hispania).

13 iul.	1921	R. P. D. Franc. Alberti, ep. de Plata (in Republica Argentina) ex episcopo titulari Siuniensi.	*la Plata*
30 »	»	R. P. Aloys. Munoz, archiep. Guatimalensis (Amer. centr.).	*Guatemala*
4 aug.	»	R. D. August. De Iesus et Souza, coadiutor cum iure successionis episcopi Lamacensis (Lusitania).	*Lamego*
5 »	»	R. D. Georg. Ios. Caruana, ep. Portoricensis (Amer. centr.).	*Porto Rico*
10 »	»	R. P. D. Mich. Ios. Curley, archiep. Baltimorensis (Status foederati Amer. sept.) ex episcopo S. Augustini.	*Baltimore*
» »	»	R. D. Samuel Stritch, ep. Toletanus (Stat. foed. Amer. sept.)	*Toledo*
12 »	»	R. D. Christian. Schreiber, ep. Misnien. (Germania).	*Meissen*
26 »	»	R. D. Septimius Quadraroli, ep. Aprutinus seu Theramensis (Italia).	*Teramo*
» »	»	R. P. D. Vincent. Castellanos et Nunez, ep. de Tulancingo (Mexico), ex episcopo Campecorensi.	*Tulancingo*
» »	»	R. P. D. Franc. de Aquino Corrêa, archiep. Cuiabensis (Brasilia), ex episcopo titulari Prusiadensi.	*Cuyaba*
27 »	»	R. P. D. Angel. Hyac. Scapardini, ep. Viglevanensis (Italia), ex archiepiscopo titulari Damasceno.	*Vigevano*
27 »	»	R. P. Pet. Pomares, ep. Fodianus (Italia).	*Foggia*
29 »	»	R. P. D. Eduard. Byrne, archiep. Dublinensis (Hibernia) ex episcopo titulari Spigacensi.	*Dublin*
23 sept.	»	R. D. Ios. Petrone, ep. Puteolanus (Italia).	*Pozzuoli*
30 »	»	R. P. Paschal. Gioia, ep. Melphictensis, Iuvenacensis et Terlitiensis (Italia).	*Molvetta, Giovinazzo e Terlizzi*
11 nov.	»	R. D. Bruno Occhiuto, ep. Cassanensis (Italia).	*Cassano all' Ionio*
30 »	»	R. P. D. Ioa. B. Luis Perez, ep. Ovetensis, hactenus ep. tit. Dorylensis (Hispania).	*Oviedo*
» »	»	R. P. D. Ios. I. Pinten, ep. Superiorensis (Stat. foed. Amer.).	*Superior*
» »	»	R. D. Crucianus Laplana y Laguna, ep. Conchen. (Hispania).	*Cuenca*

B. *Brevibus apostolicis ope S. C. de Prop. Fide nominati sunt:*

26 maii	1921	R. D. Silvin. Ramirez, Vic. Ap. Californiae inferioris (Mexico).	*California inf.*
» »	»	R. P. Soterus Redondo Herrero, Vic. Ap. S. Leonis de Amazonis (Peru).	*S. Leon*
1 iun.	»	R. D. Aug. Gauthier, Vic. Ap. de Kuang-tong Occidentali et Hainan (Cina).	*Kuang-tong occ. et Hainan*
28 »	»	R. D. Iul. Girard, Vic. Ap. Deltae Nili (Aegyptus).	*Delta Nili*
5 iul.	»	R. D. Aem. Fernand. Sauvant, Vic. Ap. de Bamako (Sudan Gallicus).	*Bamako*
» »	»	R. D. Ioan. Thevenoud, Vic. Ap. de Ouaghadougou (Sudan Gallicus).	*Ouaghadougou*
10 »	»	R. P. Ferdin. Périer, ep. coadiutor cum iure successionis archiepiscopi Calcuttensis (Indiae orientales).	*Calcutta*
12 sept.	»	R. P. Franc. Melchiori, coadiutor cum iure successionis archiepiscopi Dyrrachiensis (Albania).	*Durrazo*
22 nov.	»	R. D. Guill. Berning, V. A. Germaniae sept.	*Germania sept.*

Decreto S. C. de Prop. Fide, nominavit S. P.

Babylon lat.	9 aug. 1921	R. P. Franc. Berré, archiepiscopum Babylonensem latinorum.

Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt :

Korogo	8 iul. 1921	R. P. Ios. Diss., Praef. Ap. de Korogo.
Formosa	1 aug. »	R. P. Thom. de la Hoz, Praef. Ap. insulae Formosae.

186. — NOMINATIO

Iaponia	31 oct. 1921	Ope decreti S. C. de Prop. Fide nominatus est R. P. Marius Giardini, Delegatus Apostolicus in Imperio Iaponico [1].

187. — NECROLOGIUM

Calbayog	9 aug. 1920	R. D. Paul. Singzon, ep. Calbayogan. (Ins. Philipp.)
Luni-Sarzana et Brugnato	5 ian. 1921	R. D. Ioa. Carli, ep. Lunen. Sarzanen. et Brugnaten. (Italia).
La Plata	10 » »	R. D. Ioa. Nep. Terrero y Escalada, ep. de Plata (Resp. Argentina).
Roseau	22 maii »	R. D. Phil. Schelfhaut, ep. Rosen (Ins. Dominica).
S. Severo	17 iun. »	Ill. D. Gaetanus Pizzi, ep. S. Severi (Italia).
Cefalù	18 » »	» » Anselm. Evangelista Sansoni, ep. Cephaludensis (Sicilia).
Superior	12 iul. »	» » Ios. Maria Koudelka, ep. Superiorensis (Stat. foed. Amer. sept.).
Brooklyn	9 aug. »	» » Carol. Eduard. Mac Donnel, ep. Brooklynensis (Stat. foed. Amer. sept.).
Tegucicalpa	11 » »	R. D. Iac. Martinez Cabanas, ep. Tegucigalpen. (Resp. Honduras).
Terracina	17 » »	» » Dominic. Ambrosi, ep. Terracinensis (Italia).
Annecy	22 » »	» » Lucian. Campistron, ep. Anneciensis (Gallia).
Bologna	24 » »	Em. D. Card. Georg. Gusmini, archiep. Bononiensis (Italia).
Rennes	28 sept. »	Em. D. Card. Aug. Renat. Dubourg, archiep. Rhedonensis (Gallia).
Goyaz	19 » »	Ill. D. Prudent. Gomes da Silva, ep. Goyasensis (Brasilia).
Caserta	17 oct. »	» » Marius Palladino, ep. Casertanus (Italia).
Manizales	26 » »	» » Gregor. Nazianz. Hoyos, ep. Manizalensis (Amer. centr.).
Orihuela o Alicante.	12 nov. »	» » Raim. Plaza y Blanco, ep. Oriolensis (Hispania).
Trier	4 dec. »	R. D. Mich. Fel. Korum, ep. Treviren. (Germania).
Ravenna	18 » »	R. D. Pasch. Morganti, archiep. Ravennaden. (Italia).
Montpellier	21 » »	Emin. D. Fr. M. Anat. Roverié de Cabrières, ep. Montepusalen. (Gallia).

[1] Breve apost. est d. 7 nov. 1921.

CORRIGENDA

In Annotationibus de rubricis novi Missalis p. 228 n. 4 sic legendum est: Missae cotidianae de Requiem, sive in cantu, sive lectae, iisdem diebus permittuntur quibus respective permittuntur missae votivae privatae cantatae vel lectae; et insuper missae cotidianae lectae permittuntur in Quadragesima, prima die cuiusvis hebdomadae libera iuxta calendarium ecclesiae in qua celebratur, in qua nempe extra vigilias et ferias Quattuor Temporum fiat de festo semiduplici aut de feria non privilegiata.

Quod iam valet de incompleta hebdomada qua initium fit ieiunii quadragesimalis, i. e. de hebdomada ubi occurrit feria IV Cinerum. Si ergo feria V officium sit de feria, missae de Requiem legi poterunt.

Notare iuvat recens novam prodiisse Missalis editionem typicam, in quam nonnullae mutationes minoris momenti fuerunt introductae.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ex libris

Ex Theologia Morali et Iure Canonico

Sebastiani, Nic. Sac. *Summarium theologiae moralis*, ad Codicem iuris canonici accomodatum. Ed. 6ª minor. Augustae Taurinorum — Romae, Marietti, 1921, in-16, XII-658 pp. fr. 16.

Lib. I De prolegomenis seu de principiis fundamentalibus. — Lib. II. De officiis. — Lib. III. De mediis seu subsidiis. — Index analyticus.

Lacau, Ioa., S. C. T. *In tit. III libri I novi C. I. C. « De tempore » dissertatio philosophico-scientifico-iuridica*. Augustae Taurinorum — Romae, Marietti, 1921, in-8, 49 pp. fr. 2.75.

Praenotanda seu introductio generalis totius dissertationis.

Pars I : Metaphysica. Pars II : Scientifico-empirica. Pars III : Iuridico-canonica. I. Supputatio generalis. II. Specialis supputatio horarum. III. Specialis supputatio dierum, hebdomadarum, mensium et annorum. IV. Tempus utile et continuum. Conclusio dissertationis.

Ex liturgia

Missale Romanum, in-8, *Editio I Taurinensis, 1921, iuxta typicam*, commodissima, in paginis conficiendis commoditatis ratione habita, fere numquam lectorem ab una ad aliam paginam remittens, pag. patent cm. $14 \times 23\ ^1/_2$, rubro-nigro impressae, cum lineis rubris in quadrum ductis, characteribus nitidissimis apposite fusis lectu valde idoneis. — Editio haec in duabus chartis diversis venit : *In charta indica :* tenui ac solidissima (*Missale religatum gramm. 600 pondo*). — *In charta a machina* crassiori (*Missale relig. gramm 1100*). Taurinorum Augustae, Marietti.

Rubricae generales Missalis romani a Pio X reformati et SS. D. N. Benedicti XV auctoritate vulgati, additis quibusdam specialiter observandis in missa privata coram SS. Sacramento necnon coram episcopo in sua dioecesi. Accedunt etiam orationes pro praeparatione ad missam atque gratiarum actione necnon regulae pro missis votivis aliisque celebrandis. — Taurini (Italia), Marietti, 1921, in-16, XVI-313 pp. relig. tela, 7 fr.

Memoriale rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis, Benedicti XIII P. M. iussu editum, Benedicti Pp. XV auctoritate recognitum. Editio I Taurinensis iuxta typicam. Taurini (Italia), Marietti, 1921, in-12, 76 pp. — Broché : 2 fr. 50. — Relié toile, etc. 7 fr.

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, libraire, Bruges.

Ex philosophia

Uecello. Seb. R. P., S. S. S., *Philosophia scholastica ad mentem S. Thomae.* Tom. I. Logica. — Ontologia. — Cosmologia. XX-412 pp. — Tom. II. Psychologia. — Theodicea. — Ethica. — Phil. epitome historica ac lexicon scholasticorum verborum. Ios. M. Mellinii, 460 pp. Taurini (Italia), Marietti, 1921, in-8. Pretium : T. I, 14 fr. — T. II, 15 fr. — 2 vol. 25 fr.

Varia

La Belgique jardin fleuri de Marie. Bruxelles, Edition de l'Action catholique, 1921. 16 × 10 cm. 32 pp.

Ex periodicis

Canoniste contemporain, mars-avril 1921. J. B. Raus, *Le vœu d'obéissance religieuse et S. Alph. de Liguori.* — Aug. Couly, *Les biens temporels de l'Eglise.*

